

GEORGII TARTREAUX
EPISCOPATUS VORMATIENSIS
PHYSICI

EPISTOLA

APOLOGETICA

VIRI CELEBRIS

BALTH. LUD. TRALLE^S
MEDICI VRATISLAVIENSIS.

ADVERSUS

ANTONIUM DE HAEN
ARCHIATRUM CÆSAR.

IN CAUSA

DE CICUTÆ USU.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30788110>

PERILLUSTRIS DOMINE!

Jam a XXXIV. fere annis medicus sum, & ab haud multo paucioribus me talem esse pœnitet; hodie in primis, ex quo scilicet litteras tuas ad perillustrem Tralles 3. Februarii anno 1765. scriptas legi, in quibus felices Cicutæ exitus reipsa falsos, & infelices reipsa veros persuadere eniteris. Et certe non immerito.: Quis enimvero religiosus medicus, & ut conditio ejus exigit, quis præ ceteris hominibus vitæ integer, & probus medicus non doleat, non ingemiscat, non dolere, non ingemiscere debeat, quod nostram artem amplexus fuerit, hancce exercere teneatur, quæ etsi origine divina & ratione scopi, momenti præstantissimi, nihilominus tamen, ex hominum perveritate omnium artium confusissima & incertissima facta est.

Artem: quæ licet spinis vix evellen-
dis referta, labyrinthis intersepta mul-
tiplicibus, sine tuto duce, aut saltem
sine duce, tuto ab omnibus habitu, hodie
tamen regularum certarum loco, uni-
formium, experientia consolidatarum,
nobisque dubiis in nostris opportune
subvenientium, hodie crebrius adhuc
quam præteritis temporibus, apud ple-
rosque illorum, qui eam exercent, qui-
que magistri artis illius æstimantur,
nihil aliud offert, quam immensam in-
auditarum stupendarumqué contradicti-
onum congeriem, quam facta ab hoc mo-
do affirmata, ab illo sine intermissione ne-
gata, aut saltem in dubium revocata,
quam acerbas nisi semper, frequentissime
saltem ex inordinato & malevolo affectu
profectas discussiones; ex invidia nempe,
ex amore commodi proprii; ex vana
gloria aut ex aliis odiosis æque porten-
tis, quæ sub specioso veritatis protegen-
dæ velo obolvuntur.

Hæ sunt imagines, quarum ad aspe-
ctum terribilem, aut anxii nimium,
aut nimium temerarii, incœptis in om-
nibus

nibus efficimur; nisi cœlestia quasi lumina nos perpetuo illustrent & dirigant. Unde fit etiam, (& quidem jure ac merito:) ut præda concedamur comœdis aptissima, miserrimumque generi humano ludibrium. O nos felices tamen! si scelestissimi inter homines non propterea reputemur.

Non mihi exprobraveris, spero, Vir perillustris, me in his exagerandis nimium esse (utinam hoc jure posses) quod exinde in humanum genus redundaret emolumentum, pœnam accusatiōni iniquæ debitam, ex se gravissimam licet, mihi levissimam tamen redderet.

Sed, proh dolor! nihil his probatu facilius, quæ ita in medium profero: Et, absit a verbis injuria, nihil, pace tua dixerim, his probandis est aptius, quam tuæ ad Dominum Tralles litteræ.

Ejusmodi momentis quasi coactus, Te, Vir perillustris, præ aliis aggredior, timoremque illum supero, quo ab omni conflitu cum eo viro retrahi viderer, cuius sagacitate & solertia statim evertendus & conterendus eram,

nisi ipse met scutum mihi telis suis impenetrabile suppeditasset.

Tu aliunde, Vir perillustris, quem nulla religio deterrere potuit, ne modo scilicet tam inepto & tam contumelioso, inter alios bene multos, non perillustrem Störck tantum, collegam tuum (parum enim tibi fuisset, inquies fortasse) Sed illustr. Van Swieten ipsum lacesseres, qui olim benefactor tuus existit, &, ut tua sonant scripta, tibi non secessus, ac illis, qui inter nos non se cœco animo regi permittunt, hodie adhuc existit oraculum; cujusque candor, æquitas, religio doctrinam & eruditio nem in eo vastissimam adæquant.

Tu, quod mirum adhuc, & stupendum magis, qui postquam fructuosis laboribus medicinæ progressus non unica quidem ratione promovisti, non dubitasti, non refugisti ipsi in litteris tuis plagas infligere crudeles, & ita, ut a nemine tam vilis, tam contemptibilis, quam a Te facta fuerit. Juxta Te enim mendacia sunt illa omnia, quæ certa, quæ inconcussa, que fundamen tis

tis suffulta validissimis exhibebat; unde concludere in promtu est, cetera, quæ docet, non alterius lanæ aut virtutis æstimanda, proindeque ab ea nihil ulterius offerri, præter indigestam errorum & falfitatum farraginem; dum nos interim medici, funestissima deceptorum caterva, orbique universo formidanda, propinamur.

Tu denique, qui illorum oblitus, quibus adstrictus eras, erga Te ipsum multo magis ob locum, quem occupas, incurius, erga artem medicam, erga collegas tuos illiberalis, qui quidem collegæ a Te quasi conculcati, se numero triginta & amplius, ob despectam sicophantarum conditionem, qui decipiuntur & decipiunt, depresso vident, hoc tamen cum solatio, quod gratis, & a Te solo hoc ipsis contingat, Tu, inquam, Vir perillustris, nec debes nec potes etiam malam in partem accipere, si, ubi causæ mihi datæ & conquerendi, & artis medicæ, meique ipsius vices deplorandi ordine referuntur, nomen Tuum primo loco legendum occurrat.

Videamus tamen an jure an merito:
Sed antequam res, ut sunt, singillatim
exponam, hic sincere & nullatenus
pro fupo faciendo coram Deo & homi-
nibus testor.

1^{mo}. Me nulla præoccupata opinione
nullove factioso spiritu duci, aut com-
moveri, nullius, nisi æquitatis artisque
medicæ, partes defendendas suscipere,

2^{do}. Nec Te, nec alium quemlibet,
vel in re tenuissima suboffensum velle.

3^{tio}. Scopum mihi alterum non esse,
qnam ut palam in lucem prodeat, tan-
tum ex horrendis inter eos dissidiis, qui
artem medicain docent & exercent;
quantum præsertim ex litterarum tua-
rum textura & serie, & medicæ arti, &
medico simul detrimenti accidere. Quam
immerito itaque Tu cicutam vilis pretii
efficere enitaris, fidemque tot casibus ne-
gatam velis, qui cum tot peritissimorum
testimoniis medicorum insanabiles habe-
rentur, Cicutæ nihilominus usu sanati
sunt, præfentes litterae demonstrabunt.

His igitur diligenter præmissis, ut
ab omni suspitione & exprobratione,
sicuti

sicuti spero, immunis præster, ad rem ipsam tandem devenio.

Liber primus experimentorum perillustris Störck de Cicuta, typis mandatus anno 1760. Casus complectitur XX.

Liber secundus anno 1761 editus casus continet XXXVII. Supplementum ipsius, quod anno eodem prodiit, casus offert XXII. In appendice anni 1763. casus XIV. circiter reperire est.

His casibus casus XX. addidit clarissimus Locher in nosocomio sancti Marci Viennæ medicus. Tandem a clarissimo Collin nosodochii a sancta Rosalia medico casus XLI. anno 1764. inscribendi propositi sunt. Qui quidem omnes casus collective sumti intra quatuor quinqueve annos, casus CLVII. ob oculos ponunt.

Plerique autem illi casus ad Scirrhos sive tumores scirrhosos ad carcinomata ejusdem generis in diversis, & externis & internis corporis partibus pertinent. Reliqui vero intelliguntur de variæ speciei morbis & alio quocunque medio non sanandis. In primis de ulceribus,

fistulis, cariebus, scabie, impetigine, lepra, lue venerea, gonorrhæis, albo fluxu, menstruis suppressis, affectionibus scorbuticis & scrophulosis, yschia-dicis doloribus &c.

Hæc omnia mala, paucissimis exceptis, ope extracti, cicuta vel penitus curata, vel in melius saltem conversa sunt.

Ex perillustrium Störck & Collin testimonio peractæ sunt curationes illæ, videntibus plurimis Viennensibus medicis, professoribus chirurgisque, quos nominant: in primis vero vidente illustrissimo Van Switen.

Quamvis autem tot tamque felices exitus fortita fuerit Cicuta, ingenue tamen fatetur perillustris Störck, hanc in multis ejusdem notæ casibus virtute aliquando caruisse, nunquam vero nocuisse. Hinc Cicuta ab eo non proponitur instar infallibilis, bene vero instar saluberrimi remedii, quod vim suam sœpe exerit, ubi cetera nihil proficiunt remedia, ubique media vix non sunt desperata. Ita etiam Dominus Collin & plures alii.

Legitur in libro secundo perillustris Störck de pluribus tum in vicinia, tum remotis in locis medicis, qui scripferint ad eum circa Cicutam: scilicet hanc a se adhibitam fuisse in iisdem casibus, quibus ipse, & vi testimonii ejus, eodemque fere cum fructu & discrimine, non sanavit quidem semper sed nunquam nocuit Cicuta. Hic duo nominantur medici in Hispano nosocomio Viennæ, a quibus eadem & cum eodem successu instituta sunt experimenta. Alter est clarissimus Hasenöhrl, quem tantopere, & merito quidem, in tuis ad amicum litteris laudas. Alter est clarissimus Avenbrucker, cui, non sine omni fundamento, assensum in casu controverso non ultro concedere videris.

Evolvatur insuper diarium medicum Parisiense ab anno 1760. ad annum 1765. Undecim numero ex variis locis medici, tres chirurgi, iisque omnes Galli, sine consensu mutuo, uno scilicet ignorante, quid esset alter acturus, ibi casus supra 40. retulerunt de Scirrhis, scrophulis &c. quæ Cicuta (duobus tantum exceptis) curavit radicitus. Et

Et ne res a me auctae & inflatae appareant, utque apertum unicuique constet (istud ægre annoto) non manu veritatis exaratum legi pagina 22. epistolæ Tuæ, ab omnibus Europæ medicis & chirurgis, nonnullis Viennensis bus exceptis, inutilem Cicutæ virtutem in Scirrhis & cancris deprehensam fuisse; dum reliqui per universam Europam medici atque chirurgi Cicutam deprehendant esse ad hos morbos curandos ineptam.

Habebis infra, juxta ordinem, quem in diario servant, nomina medicorum & chirurgorum illorum, una cum casibus ab iisdem relatis brevissime delineata.

Est clarissimus L' Allement Esprnæi medicus; ex cuius testimonio anno 1760. mense decembri, diarii pagina 511. Scirrhosæ obstrukciones, hepatis, lienis, mesenterii, illæque jam per 5. annos inveteratæ, & potentissimis remediis insuperabiles, Cicuta tamen superatæ & sanatæ.

Est clarissimus Marteau Abbamalæo medicus: quo quidem fidem faciente auno

anno 1761. mense Martio, dafii pagina 121. affectiones scrophulosæ violentissimæ, Cicutæ celeriter satis operanti cedere coactæ sunt.

Est clarissimus Aubelique Novioduni medicus : si ei credatur, eodem anno mense Augusto, diarii pagina 129 tumor Scirrhosus quadrimus, crassitudine enormis, intus in hypogastrica regione, Cicuta dissipatus est.

Est clarissimus Dismillevile insulæ in Flandria medicus, illo ita testante, eodem quoque anno 1761. mense aprili, diarii pag. 322. bimuli in palpebra carcinoma, aliis antea in cassum tentatis medicamentis, Cicuta fuit curatum.

Est clarissimus Landeutte in civitate Biche vulgo dicta medicus. Hic eodem pariter anno 1761, mense Septembris diarii pagina 223. ita de duobus morbis: alter fuit lien scirrhosum in viro debilitato prorsus & extenuato, & ibi nihil omnino profuit Cicuta: alter fuit scirrhosus tumor in mammis apud juvenem adhuc matronam & ibi malum sanavit Cicuta.

Et

Est clarissimus Pelet Milialdi medicus: dicit iste eodem Anno 1761. mense Decembris, diarii pagina 519. exulceratos oculos, manus lupia deformes Cicuta sanitati restituta esse.

Est clarissimus Finantneveu Brigantini nosocomii chirurgus primarius: ab illo accipimus eodem anno 1761. diarii pagina 522. parotides obstructas, nec non ulcera Scirrhosa in cruce Cicuta penitus fuisse curata.

Est clarissimus Decotes in civitate Meru ex Bellovacensi districtu chirurgus: docet hic de duobus vero exulceratis cancris, uno ad faciem, altero ad manum, quod post adhibita sine fructu cetera quaecunque remedia, tandem felicissimo cum exitu in auxilium convocata fuerit Cicuta.

Est clarissimus Hasson facultatis Parisiensis doctor: qui anno 1762. in supra dicto diario, pagina 533. de carcinomatoso tumore in collo verba facit: qui quidem tumor non reipsa Cicuta sanatus fuit, sed propterea tamen in peius non delapsus est.

Est

Est clarissimus Agasson Lecturnensis medicus: ille anno 1763. ejusdem diarii pagina 127. ulcus cancrosum in labiis commemorat. Hoc non curavit Cicuta, verum est, sed non nihil tamen juvit, & revera curasset, nisi casus omnino fuisset desperatus.

Est clarissimus Bieshaar Bergamhae-
mii chirurgus: ac eo in eodem diario pa-
gina 455. mense Maio, anno 1763. de
cancroso tumore in lingua fit mentio:
fuit amputatus ille tumor & amputatio-
ne facta curationi integræ profuit ad-
modum Cicuta.

Est clarissimus Ehrhard Redershæmii in Alsatia medicus, juxta idem diari-
um hic mense Septembri, anno 1763.
pagina 195. de Cicuta dissertationem
expressim edidit, in qua dissertatio-
ne circa finem casus refert XVII. nempe
XIV. ab Argentinensibus medicis sibi
communicatos & III. alios, quos ipse met
tractavit. Casus illi versantur partim
circa scirrhosos tumores inveteratos in
parte ventris inferioris; partim circa an-
tiquata ulcera, eaque speciei periculo-
ssimæ.

fissimæ. Versantur etiam circa cancros venereos in matrice aliisque in locis; circa ejusdem pariter generis carcinomata. Taceo ophthalmias serosas, taceo & illa omnia mala cæteris quibuscumque remediis prorsus insanabilia, tandem Cicuta perfecte sanata. Admonet interim, sibi non secus, ac per illumstri Störck in plurimis aliis & ejusdem notæ casibus, Cicutam infertilem fuisse.

Est clarissimus la Routline Amovi, in Chalosia pariter medicus: iste asseverat pagina 502. decantati diarii, anno 1764. mense Julio, a se, mediante Cicuta, verum in nafo cancrum curatum fuisse.

Est clarissimus Dupuy de la Porcherie Monspeliensis medicus: hic ut virtus colliquefaciens expressæ Cicutæ in strumis demonstretur, anno 1765. mense Martis, pagina 219. ejusdem semper diarii, observationes non nullas proponit: & ut eadem virtus innotescat in carcinomatibus sive cancris, in exostosibus, etiam cum carie, alias pagina 223. addit observationes. Novem profert in medi-

medium casus, qui ad tumores scrophulosos plerumque ulcerosos, in collo & in aliis corporis partibus spectant. Hi, etsi speciei tenacissimæ, tamen Cicutæ radicibus curati evanuerunt.

Silentio prætermitto celebres æque ac eruditos auctores diarii medici illic jam toties nominati: scilicet clarissimum Vandermonde, & clarissimum Roux, prioris in adeo laborioso & utili opere successorem meritissimum; utriusque sententia, & certe illa non levioris est habenda ponderis in arte nostra medica, nendum Cicutæ adversetur, quin imo ei plurimum favet.

Jam satis superque est, credo, ut apertum constet, non minus in Gallia, quam Viennæ, & multis aliis in locis extitisse medicos, qui in Cicutæ virtutes easdem, nisi constanter, saepissime saltem deprehenderint, quos deprehendit ipse perillustris Störck, pro plerisque allatis casibus, & in primis pro scirrhis & cancris.

Quoad aliarum gentium medicos satisfeci, si tres quatuorve ex illis appelerim.

Appello perillustrem Vanderbelen in Lovaniensi universitate professorem, qui scribit, se in horrendo carcinomate curando, Cicuta, & hac cum exitu felicissimo, usum esse.

Appello clarissimum Kaisin Leodensem medicum, virum non minus integritate, quam eruditione sua singularem. Hic olim sicut Tu, magni Boerhaavii discipulus testatur mira, quæ Cicuta patravit, in vetustissima ac indolente scroti duritie & in ani fistula; quin imo in nephriticis doloribus.

Appello clarissimum Ioannem Vanderbelem egregium Bruxellensem medicum: a se, ut scribit, adhibita est Cicuta mirifico cum exitu in podagra, in phtisi, in lichenibus, in Rheumatismis, in cataractis, in cachexias &c.

Appello ipsum met celeberrimum Tralles, ad quem Tuæ diriguntur litteræ, quemque arbitrum & judicem in controversa materia habere non detrectas: a capite etiam literarum tuarum, Vir perilluistris, fateris, ab ipso auctore Tibi scriptum fuisse; Breslavii, eodem mo-

modo fere ac Viennæ, Cicutæ vim ac virtutes apertam in lucem proferri.

Appello tandem clarissimum Venden-block veteranum Bruxellæ medicum: qui de Bella donna tractando, mense Februario anno 1761. pagina 108. tomo 14. diarii Parisiensis Cicutam laudat, quando scilicet in cancris, pro quibus potissimum necessaria est, propinatur; unumque commemorat cancrum Cicutam omnino sanatum.

Omitto hic in finibus nostris plures veré celebres medicos, apud quos hodie adhuc, & sæpiissime cum fructu usus cicutæ est familiarissimus.

Et ut gravioris adhuc ponderis tot, tot illustrium medicorum in gratiam, Cicutæ testimonia reddantur, unum affero locum unius epistolæ mihi consulenti ab illustrissimo Van Swieten die 21. Septembris anno 1764. conscriptæ.

Invidia, inquit ille, malevolus amans- ue contradicere animus non nihil molitur, t tollatur de medio Cicutæ usus. Servet nusquisque, per me licet, suum sentiendi iodum. Ego utilem experior Cicutam, ac mihi sufficit. Et magni facio peril-

lustrem Störck, a quo ad nos remedium istud pervenit.

Quæ cum ita sint, liceat quærere, vir perillustris, an remedia, an facta multa in tota medicina reperire sit evidenter certa, firmius stabilita, prudentiori confirmata experientia, auctoritate consignata ponderosiori, proptereaque fide ampliori digna, quam ista Cicutæ vis, & virtus in casibus prænumeratis? Præsertim si ad memoriam revocetur inter veteres medicos Hyppocratem & Galenum, utrumque artis medicæ parentem, omissis aliis bene multis, laudibus cicutam & illius usum extulisse; extulisse pariter inter recentiores celeberrimos, perillustrem Astruck. Hanc frequenter in scirrhosis cancrofisque, ulceribus matricis adhibitam volunt. Hic facile, spero, præmium Cicutæ concederis, nisi tamen contendere volueris, solem meridie non lucere.

Tu tamen, vir perillustris, etsi ita res se habere inficiari non possis; Tu primo loco, & quidem jure, in una ex eruditissimis Europæ universitatibus professor; Tu, cuius tenerimi erga genus hu-

humanum affectus pari passu cum scientia in scriptis tuis ideo majoris apud nos ponderis factis semper incedere visi sunt; Tu inquam ita convictus, non minus secure tamen, quam audacter in litteris jam non semel commemoratis ad perillustrem Tralles, asseveras & tueris fortiter.

1^{mo}. Omnia, quæ in favorem Cicutæ jactata sunt, puras inmaginationes (ne parcamus verbis) pura mendacia esse: quodque, ut credibilius fiat, immiscet inter alia.

2^{do}. Omnes successus, omnia prodigia de illo remedio huc usque decantata nullibi usquam existisse, nullibique reipsa hodie ad huc existere, nisi in præoccupata illustrissimi Van Swieten opinione, qui, huic remedio fidem conciliare enititur; cuiusque spectabilis in medicina auctoritas, una simul cum potestate gradus procurandi, nominatos Viennenses medicos primum in hujus medicamenti favorem præverterit: illi deinde, ut contingere solet, exterios medicos eundem induxerunt in errorem.

^{3^{ta}}. Addis, & illud disertis verbis, quia Tu, Vir perillustris, illius voluntati obtemperare renuisti; quia noluisti scilicet testimonio, & encomiis remedium comprobare, quod in omnibus tentaminibus tuis, non se aliter unquam, quam vel inutile vel nocivum, aut aliquando etiam lethiferum exhibuerat, Te odium ipsius gravissimum incurrisse, ut Tibi bellum apertum indixerit, Ex illo odio natas persecutioes impuneque grassantes calumnias, quæ Te vix in tuto vivere permetterent. (Nota accusationes illas in illustrissimum van Swieten, saepe etiam in perillustrem Störck & ceteros Viennenses medicos, Cicutæ patronos cadere.

Agnosce, vir perillustris, ibi dari omnino inauditam, ex hominum memoria, saltem ita publica suspectae fidei exprobrationem, nec non quam maximos, contra nos omnes, clamores edentem contradictionem, & quod plus est adhuc contumeliosissimam criminacionem erga eos, quos Singillatim aggredieris, ut ut insontes sint. Quae omnia tanto plus condemnanda sunt, quod

quod non hic de theoria (quod forsan tolerandum foret) sed de factis, & unice de factis agatur.

Enim vero, vir perillustris, ut non odiosa est ista a Te delineata imago, & medicorum in universum, & illorum, quos seorsim lacefis? Imago in primis illustrissimi tui præsidis, hoc munere tamen adeo digni! (quæ quidem proprius adhuc postea introspiciemus) ut vilis, ut abjecta a Te depingitur medicina? nonne a Te, ut jam dixi, periculosiore, quam a nemine usquam, data occasione, fides ei denegabitur? non erit enim, juxta Te, nisi falsitatum scaterrigo, fatalisque ex confusis, incertis, erroribus, contradictionibus, contestationibus, coagmentatio, Non poterit humanum genus, nisi raro & casu quasi fortuito, in doloribus suis dulce levamen ab ea expectare, licet ab initio ad hunc finem instituta fuerit.

Hæc sunt, quæ serie saltem naturali ab inceptis Tuis, sive rectis, ut persuadere cupis, sive omni fundamento destitutis, ut per se patet, emanant & profluunt.

Retro revolvantur dissensiones, discussiones, nimium in medicina ab illius origine ad nostra usque tempora. Frequentes fuerunt quidem fervidissimæ, aliqua ndo etiam funestissimæ; nunquam tamen ex eis istud concludere fas fuit, quod, Te ansam dante hodie ad opprobrium artis, opprobriumque nostrum concludere manifestissime licet.

Itaque opus illud Tuum in suo genere unicum profectum præsertim a viro tam celebri, & officio tam eminenti, jure præposito (laudes illas enim mereris & ultro Tibi tribuimus) opus illud tuum, omni semota præoccupatione, assertionem meam recte stabilire potest, Medico medicum esse, nunc deplorandum & quasi erubescendum.

Priusquam autem ad probationes veniamus, quas mihi facile est subministrare, & ceteris jam fuse allatis, de meo subjungere, ut tua scilicet impugnetur de Cicuta sententia, nunc laboris inutilis haud videtur, præcipua saltem epistolæ tuæ loca, quæ magis ad rem faciunt, in compendium redigere.

Inde

Inde facile intelligetur, utrum loca ipsa, separatim etiam a probationibus, non contra Te reipsa testentur & pronuncient; utrum non manifestissime demonstrent molitiones tuas tum adversus Cicutam & artem, tum adversns collegas tuos & illustrissimum præsidem tuum imprimis, a principio veritati profus extraneo exortas esse? Sic igitur mentem aperis tuam.

1^{mo.} Pagina 4. epistolæ tuæ ubi de pilulis e Cicuta factis: *Jam ultra Sexennium*, ergo anno 1759. nam epistola tua die Februarii 3. anno 1765. primum exarata est, ergo ultra annum ante prima experimenta per illustris Störck publici juris facta) illas pilulas dederat mihi illustrissimus nosfer praeses van Swieten, ut in Scirrho & cancro earum vires explorarem (suppresso quamvis plantae nomine) quod publicare, nedum sibi licere aiebat. Quo autem audax in experiendo essem, suam ille fidem, suam interposuit experientiam: neque profecto vel hilum hæsitavi fide munitus tanta atque auctoritate.

Si tuis fides adhibenda verbis, Vir perillustris, non perillustris Störck ipse, bene vero illustrissimus Van Swieten primo pilulas invenit, licet tamen ex ipsius supra commemorata epistola contrarium appareat, pagina 34. numero 21. Juxta Te enim jam vim & virtutem illarum, antequam easdem Tibi committeret, exploraverat & deprehenderat, eoque fine tantum eas a Te exploratas voluit, ut, earum virtute ita magis ac magis confirmata, luce tandem publica & etiam per prelum dignæ redderentur. Quæ quidem agendi norma, quoquo modo consideretur, candorem in eo mirabilem prætereaque nihil ostendit. Confiteris insuper & modo sane illi auctori gloriosissimo, amplissimam illius auctoritatem, pretium & pondus in arte nostra medica: *Neque vel hilum haesitavi tanta auctoritate munitus.*

2^{do.} Pagina 5. sic Te præbes intelligendum: *Experimenta igitur actutum institui eaque bene multa, antequam, qua uterer, Cicutam esse noscerem* (hoc plenam continuamque illustrissimi tui præsidis testa-

testatur fiduciam) postquam paulo inferius dixisti, remedium hoc a Te adhibitum inauspicatos semper exitus fortitum esse. Addis tamen pagina 6. *Interea aliorum recenter vulgatis experimentis, tanquam (NB.) propriis meis gaudebam, & ubique laudabam (NB.) cognitae tunc mihi Cicutæ vires.*

Hoc profecto notatu dignum est & incomprehensibile. Experimenta tua, ita enim pagina 6. asseveras, huic remedio minime favebant. *Quod autem, inquis, experimenta illa minus favebant, ego instituebam eadem auctio-
ra.* Quomodo ergo laudare tum ubique poteras Cicutæ Tibi cognitæ vires? Hoc non capio; hocque Tibi soli solvendum relinquo.

^{3^{ta}}. Pagina 6. circa finem ita loqueris: *Atque ita fere biennio egi (utendo nempe Cicuta.) Tandem cum ea experimen-
torum meorum infelicitas esset, ut, qui-
bus Cicutam spatio anni dimidii, anni
integri & sesqui dederam, eorundem
sanescerent non nulli, plures in dete-
riora laberentur, unus periret alterque.
Grates Deo, quod Tibi uni hæc omnia*

contigerint ! Ast cum Tu testimonia medicorum numero ultrà triginta rejicis & inter cetera rejicis testimonia illustrissimi Van Swieten , Störck &c, poterit pariter , nulla Tibi illata iniuria , tuum hac de re in dubium revocari testimonium.

Pergis : quum praeterea similes querelae aliorum , (eorum scilicet , qui quoque præoccupati fuerant ,) aures circumsonarent , penitus , fateor , animus vacillavit . Sed cur , quæso , illa vacillatio ? Nonne ex prædictis : tanta auctoritate munitus ; erigendus erat animus ? nonne ex illo : suam interposuit experientiam ; arcendum erat omne dubium ? An facile præsupponere potuisti , ab homine , quem ipse met tanti ponderis & momenti in re medica confiteris , in instituendis experimentis erratum fuisse ? Adde , quod experimenta ex libro primo perillustris Störk , tunc Tibi præsto fuerint . Igitur allegata illa vacillatio , facta incertitudo illa haberi non possunt , nisi ut præludium præparatorium ad istam plus quam stupendam , quam nobis destinabas , orationem .

Hæc

Hæc sunt Tua verba pagina 7. Interea obstupescens inaudio libellum de Cicuta alterum prelo mandari. Itaque illustrissimum praesidem adire ego, ipsius infortunia mea exponere, diaria 23. aegrorum, quas ab initio in curam suscepeream, monstrare.

Distulisti itaque usque ad editionem libri 2. experimentorum perillustris Störck, id est, distulisti unum alterumve fere annum, nec citius illustrissimo præsidi de exitu & consectariis creditorum Tibi experimentorum relationem fecisti. Tu præsertim, Vir perillustris, qui cum sis cum eo civis eiusdem urbis, eiusdem universitatis, eiusdem corporis membrum; promotus ad eundem gradum, gradu uno excepto, eum si non quotidie, sæpiissime saltem videre & salutare potueris.

Quod si Te, tam incongrue erga ipsum, quam hoc tua narratio indicare videtur, reipsa gesseris, quid iure ac merito suspicari ille non potuit ex tam intempestivo de hac re silentio, & de circumstantiis, quibus postea illud rumpes? Unum indicabat contemptum
haud

haud mediocrem, Quid dico? Contem-
tum iniuriosissimum. Alterum detege-
bat mentem jam longe antea concep-
tam, hoc in posterum aggrediendi,
quod hic & nunc de facto aggredie-
baris.

Enim vero quid necesse erat infelices
exitus tuorum experimentorum (si illa
tamen infelia) tam longo tempore
reticere? Eo tempore præsertim, quo
pro prima vice edita sunt perillustris
Störck experimenta. Quare nedum vo-
cem tunc, sicuti par erat, & altius ad
huc, quam antea, reclamando extuleris,
illa e contra ut Tibi recte cognita &
approbata laudavisti? Quare denique
exspectavisti donec altera hujus aucto-
ris experimenta prelo mandarentur,
ut tunc modo, & non prius, os de Tuis
aperire inciperes? Quid ad ista, quæso?
quid dicendum? quid cogitandum?
Nonne fateri teneris, ænigmatis illius
solutionem ab ore veritatis non ex-
spectandam esse; aut faltem hæc ob-
scura, modo ad laudem tuam condu-
cente, in scriptis tuis non elucidari.

Ulterius progrederis: Itaque obtestari per omnia sacra , nihil ultra publici juris fieri permitteret, donec quae a pluribus caperentur experimenta numerosiora, omnem amovissent haesitationem. O ! singularem sane deprecationem ! Non attendisti , ut credo , ad omnia quæ continet ? ita , vir perillustris, ut Tibi fieret satis , tenebatur præses tuus illustrissimus , & sibimet , & perillustri Störck , indelebilem infamiae notam infligere, licet tamen ab omni noxa uterque mundus foret. Scilicet revocandus erat a prelo liber , quem prelo tamen dignum judicaverat, qui que altera perillustris Störck de Cicuta experimenta ipso vidente & approbante facta complectebatur.

Necesse erat, ut tam absurdō procedendi modo aperte declararet, omnia experimenta , quæ a se cùm successu instituta Tibi dixerat, non secus ac illa ex libro primo illustris Störck , quæ certa compererat, quæque reipsa certa erant, esse nihilominus falsa & ad decipiendum excogitata.

Audirem ultro, Vir perillustris, quid Tu homini Tibi talia & in tali casu proponenti esses responsurus, aut quid facturus? Te moderatissimum volo. Sed an ita tamen apud Te quiescit moderata bilis, ut hominem adeo inurbanum non statim domo ejiceres? Vox firma satis Tibi non esset, ut plenis faucibus, & merito quidem, ad iniustitiam exclamares.

Attamen ex eo, quod præses tuus illustrissimus non potuerit, etiamsi voluerit, his obtemperare, quæ, repugnante ratione, ab eo extorquere cupiebas, ansam inde arripis illum adversus Te, eorum insimulandi, quæ art. 24. n. 3. supra retuli, & a quibus tamen hunc, ut certo scio, omnes remotissimum iudicant.

Sic Tu, Vir perillustris, pagina 8. & immediate post ea, quæ hic pagina anteriore initio articuli 37. leguntur, de re eadem pergis: *Non expedit enarrare, quis fuerit colloquii finis: nosse sufficiat NB. indicatum mihi bellum ab eo die, (idest ab eo die, quo praesidem tuum illustrissimum adire tandem descrivisti) suisse, idemque huc usque*

continuare duntaxat, sed ingemina-
re &c.

Parum est dura adeo usurpasse verba; nihil est illis contumeliosius quæ pagina 62. epistolæ tuæ leguntur, quæque gemens referto. Audiamus: *Interim, inquis, Vir amicissime, (peril-
lustrem Tralles alloqueris) miserandam
meam cogita sortem, quem, quod tor-
renti me opponam, NB. odium inique
persequitur, calumniae impune lacerant,
& omne deserit tutamen.*

Ut recte animadvertere potes, *Vir* perillustris, nihil in loco epistolæ meæ superius citato Tibi gratis & sine causa imputatum est. Sed animadvertere simul potes & debes, imo concedere & fateri, hinc veritatem, quacum tua dicta non quadrant, gravissime offendit. Quis vel minus acute cernens, non privata statim detegat agendi incitamenta, quæ erroris detegendi desiderium minime redolent? Hoc adhuc patebit clarius, nonnullis observationibus super stupenda illa epistolæ tuæ loca supra breviter factis.

Cui venisset unquam in mentem, hujus texturæ accusationes, quales his in locis deprehendere est, in illustrissimum Van Swieten cadere posse? In illum nempe præstantem virum, ita de tota arte medica, de unoquoque medico, & fortasse de Te præ aliis bene meritum? In illum virum, quem insignis probitas non minus, quam vastissima eruditio clarum fecit, in illum denique virum, ut paucis omnia dicam, quem regina totius orbis augustissima & potentissima, fiducia dignum sua judicat, cui pretiosissimos dies suos credit ad conservationem, quemque in præstitorum memoriam officiorum beneficiis gratosissime cùmulat.

Hunc tanti pretii virum, una cum aliis bene multis æquè famæ integris, mendacem, persecutorem, uno verbo, sycophantam impudentissimum a nobis haberi cupis.

O deplorandam sane hominum conditionem! Ergo non incanuit, non emarcuit vir ille egregius, inter perpetuas & immensas studiorum assiduitates, pro fratum suorum utilitate, nisi ut præ-

præmii loco , ab eisdem crudelissime dilaceraretur ? An audiendus es , an sustinendus abs bona adeo in virum doctissimum animi rectitudine & moderatione , ut omnes norunt , præcellentem proferre non dubitans ? In virum , qui , ut tumet ipse refers ration. med. part. X. fol. 297. qui anno 1762. Tui periculosisssimo detenti morbo amore plusquam , ais , fraterno curam gessit , Teque ex orci faucibus adeo feliciter eripuit .

In virum tandem Boerhaavii magni olim discipulum primum & carissimum , in virum , cuius certam consummatamque experientiam , & peritiam ora omnia , omnibusque in locis , prædicant ? An audiendus an sustinendus es , inquam , cum talia tali viro attribuis ? Quis vel maxime phlegmaticus tibique addictissimus animus ad hæc non ardeat , non excandescere possit ?

Quod ad me attinet , qui cursum fere complevi , qui que jam eam attigi ætatem , ubi omnia sine fuco apparere solet , & qui consequenter hodie adhuc iugis , quam unquam ante , veritatum vangelicarum exercitium summo ho-

nori, utpote felicitati consequendæ sum-
mopere necessarium duco, ac reproto, si
ego erga minimum fratrum meorum,
eumque præsertim tam insontem, pro-
ut omnes sciunt esse illustrissimum
van Switen, ita me consciū experirer,
nescio fateor, quid non
facerem, ad me, tali culpa mun-
dandum.

Perscrutemur vero, utrum aliquam
veri speciem bellum illud, persecutio
illa, calumniæ illae, pericula denique
illa numero 40. & 42. commemorata
præ se reipsa ferant?

Respondeo ad primum: Si Cicuta ea
revera fuisset, qualem ipsam exhibes,
& nisi præses tuus illustrissimus experi-
mentis, & a se, & a perillustri Störck
institutis, fretus sincere persuasum ha-
buiisset, eam pro remedio saepissime ef-
ficacissimo, nunquam vero funesto ad-
hiberi posse, tunc fatendum est, non
tam Tibi, quam universo generi huma-
no bellum indixisset; juxta Te enim
venenum illi præparasset præsentissi-
mum, contra quod tamen se tueri non
ei tam facile fuisset, quam Tibi, prop-
ter

ter hic & nunc veneno illi conciliatam auctoritatem.

Incredibile porro est, imo absurdum, suspicari de viro, qui decem lustrorum spatio, & amplius aquam & sanguinem, si ita loqui fas est, die ac nocte defudavit, de viro, qui postquam primævæ florentis vitæ tempora ceterorum hominum bono & conservationi consecravit, hodie adhuc, non obstante tamen oneroso sibi, non secus ac mihi, annorum pondere, debita eiusdem vitæ reliqua æque generofus ac religiosus consecrare pergit. Incredibile est, inquam, imo absurdum, de tanto viro vergente ad finem machinatam ita generis humani ruinam ac perniciem suspicari. Vix tam odiosa de audacissimis supponi possent histriónibus aut circumforaneis.

Itaque si Tibi, ut ais, bellum ab illustrissimo tuo præside indictum fuerit, non eo fine saltem, quem insinuare conaris; non venenum, bene vero saluberrimum remedium defendere intendebat. Sive ipse, sive perillustris Störck, remedium istud primo invenerit, verum semper & constans remane-

bit, utriusque summas in perpetuum grates fore persolvendas.

Quare vero Tibi bellum indixisset? Nonne satis erat, si Te a pretio æstimationis suæ exclusisset. Nemo sine qualicunque agit incitamento, unicuique scopus est semper, ad quem agendo tendit, quonam vero tendere voluisset, aut potuisset præses tuus illustrissimus per prætensum illud bellum.

Primo certus esse potuit, auctoritatem suam, sine recursu ad arma, auctorati tuæ in medicina & ubique semper esse prævalituram, veritatemque vias sibi intra nubes, quibus illam obvolvere eniteris, esse aperturam. Præterea non habebatur auctor remedii hic in controversiam venientis, Non filius erat remedium istud patrem ita excoecans, ut ex paterna caritate vitiis cognitis ut vitiis inepte patrocinaretur. Re bene peracta totum decus in perlustrem Störck redundabat, quemadmodum & dedecus totum, si revera erratum fuisset. Secundo nihil omnino illustrissimo tuo præsidi a Te timendum erat, ipfi nequaquam nocere potuisti:

nec

nec æmulationi , nec invidiæ aderat locus. Quin imo sub tutela excellētissimorum operum , nomen famaque ipsius telis omnibus stabant impervia , per favores & beneficia reginæ augustissimæ , cui addictus erat , certa & stabilis facta fuerat ejus fors & conditio : pervenerat scilicet ad celsissimum humanorum desideriorum cumulum , summe honoratus , summe contentus , nihil ei , quod ulterius prosequeretur , supererat.

Quænam ergo , quæso , necessitas , quod momentum , quis finis hunc comovere potuisset , ut Te tam crudeli bello persequeretur ? An ut Te fortasse e tuo loco everteret ? Sed ipse Te evexit ad locum quem , nunc occupas , Te dilectissimum olim habuit discipulum , Te magnopere laudavit semper , quod quidem ex litteris mihi ad huc præ manibus probare facillimum est.

Luce ergo meridiana clarissimus est , belum istud , de quo tam amare conquereis , & ita intellectum , sicut intelligi cupis , nullibi , nisi in phantasia tua extere ; ex serie tota totius orationis tuæ

patet, nomine belli hoc a Te appellari, quod cum bello ne levissimam quidem retinet similitudinem, imo ab omni specie belli toto coelo distat.

Est hæc illustrissimi tui præsidis indifferentia, quam servido erga te suo zelo opponere procul dubio coactus fuerit, atque iusta fiduciæ suæ ad alterum translatio, dum tuum erga se adeo stupendum contemtum, & haud benevolam mentem tuam, atque defectum in experimentis ab eo tibi creditis, quem virtutes in hisce ab eo ante repertæ, ipsi detegere debuerint, videre debuit.

En sine dubio, quod Tibi nomine belli appellare placet; Impossibile saltem est, aliquid aliud, in quo situm sit, excogitare. En gravium sed iniustarum causas querelarum, quæ utcunque tamen excusarentur, propter tam multa aliunde egregia, quæ demiramur in Te, nisi adjunctas haberent odiosas illas criminationes, quæ primo auditu nos horrore perfundi faciunt.

Quod ad cetera: si bene probatum fuerit (& hoc abunde a me probatum puto) nec necessitate ulla, nec commo-

do ullo proprio inductum fuisse illustrissimum præsidem tuum, ut Tibi bellum indicaret, probatum quoque remanebit, nec calumnias, nec persecutio[n]es, quas ipsi publice imputare non erubefcis, non ab altero principio proficiisci, quam a voluntate tua, arcanis quidem, sed non ita tamen occultis mota impulsionibus, ut illæ impulsiones in litteris tuis, non statim deprehendi queant, & ita, ut qualibet in auxilium convocata subtilitate nequaquam excusari possint; sed hæc Tibi & coram Deo, & coram hominibus discutienda & cogitanda relinquo, ut Christianus, & amicus vi-ces doleo tuas : hoc mihi modo sufficiat.

Ex istis annotationibus ad omnia hæc epistolæ tuæ loca ab articulo 30. ad articulum 57. mihi polliceri audeo, Vir perillustris, nonneminem convincendum fore ex illis locis, ut jam articulo, 30. indicavi, non valida minus contra Te deduci argumenta, quam ex probationum collectione ab articulo 10. ad articulum 22. & ex probationibus, quas de meo promisi, & mox reipsa

allaturus sum. Sed prius ad cicutam ipsam delabor.

Non est, Vir perillustris, unde hic multum curem segnitiem & tarditatem in calamo meo, non secus ac rugas & asperitates a Te in ipso reperiundas vituperandasque. Hoc ætati est condonandum. Facta certa & ad persuadendum idonea loco erunt florum et amoenitatum, quæ tanta cum arte disponis, modoque tam mirabili ubique locorum in scriptis tuis disseminas.

Rem totam igitur ad clarissima quædam puncta revocemus.

1^{mo}. Cicutam negas, ut jam diximus, illius virtutis, aut efficaciæ in malis, propter quæ tamen laudatur, & nominatim in Scirrhis, carcinomatibus, vel cancris, in strumis &c.

2^{do}. Contendis: nedum ab ea fanentur mala, eam semper inutilem esse, sæpiissime nocere, mortem ab ea accelerari Pagina 60. epistolæ tuæ; denique aliquando etiam interimere: *Unus periret alterve.* p. 7. ibid.

3^{tio}. Declaras: non obstantibus experimentis a perillustri Störck aliisve

Viennensibus medicis in cicutæ gratiam institutis, nullum ex allatis supra morbis ab ea curatum fuisse: ideoque sanationes omnes illæ tam sæpe decantatæ ocum nunquam obtinuere, & non nisi ad illudendum fuerunt excogitatæ.

4^{to}. Propugnas: etiamsi Cicutæ attributa virtus faniem foetidam cancrorum in pus laudabile convertendi tam vera, tam constans esset, quam prælicatur, nihil tamen in eius favorem inde concludi posse: cancri maligni non minus ideo remanent, non interimunt minus, non minus mortem aliquando ccelerant.

5^{to}. Afferis: ab omnibus tandem Europæ medicis Anglis, Batavis, Gallis, talis, Germanis &c. quam inefficax sit Cicta, in Scirrhis præsertim & carcinomatibus compertum fuisse.

6^{to}. Describis: pagina 22, & 40. epitolæ tuæ, plures ex viennensibus extisque medicis, ideo in errorem inductos fuisse, quia ipsis malorum natura non itis bene cognita fuit, non secus ac differentia inter illos, & inter alterius eneris tumores necessario facienda.

Hinc

Hinc in promptu, erat, ut a semet ipsis, & ab aliis institutione experimentorum deciperentur; hocque eo facilius, quod perilluistris Störk ipse adeo etiam, dum operaretur in conspectu Illustrissimi præsidis casibus in innumeris, & inter illos, quos refert, quique omnes singularem merentur annotationem, id generis mala promiscue confundat.

7^{mo}. Admones, loquendo de Vien-nensibus medicis, multos, quos pudebat, ita ab initio vana veri specie, delusos & excœcatos fuisse, verba & sententiam revocasse; multos e contra illorum, qui silentium servarunt, non alia de causa tacuisse, nisi ex adulata-tione, ut accepti fierent & ad gradus eminentiores promoverentur.

8^{vo}. Concludis: Siquando morbi qui-dam visi sunt, instar allatorum hic mor-borum, qui Cicuta adhibita sanati sunt, non tam cicutæ ipsi tribuendae sunt illæ curationes, quam remediis aliis qui-buscum permixta erat, aut naturæ foli, cuius miracula, ut ita tamen lo-quar, frequentissima sunt, addoque simul, non nisi ad laudem medici solius

filius contingere ex magna parte
solent.

Hæc sunt, credo, Vir perillustris,
præcipua epistolæ tuæ de Cicuta loca
ad compendium arcuratissime redacta.
Non culpabor, ut spero, quasi in illis
reddendis minus diligens, aut minus
accuratus fuisset. Interim foecunda
hic causarum seges despiciendi me-
dicum!

Nisi nomen tuum huius operis capiti
præfixum fuisset, nemo Te sane huius
prolis parentem suspicatus esset. No-
vus ille filius ceteris fratribus suis ita
est discolor, ut biformes veluti homi-
nes in Te spectandos exhibeat. Unum,
quem rectum iudicium, recta ratio,
recta principia, scientia, experientia.
religio denique regunt in omnibus; al-
terum, quem obiecta in templo aut The-
midis aut Minervæ nunquam inventa
aut invenienda, ab initio ad finem di-
stinent & occupant.

Ita sane de Te, Vir perillustris iure
dici potest, quod Bolleus olim de Mo-
lierio ingeniose dixit:

Ad saccum misere inventum, inventumqu Scapinum.

Miror: & auctor ubi tuus est, Myſ-
ſantrope, quæro?

Ego autem non adeo eleganter qui-
dem, sed in re multo gravioris mo-
menti:

Ad scriptum spernens neglecti
praemia veri

Miror: & auctor ubi vester, scripta
optima, quæro?

Esto quis moderatissimi, maxime
pacifci, &, ut ego sum, ad Te excu-
ſandum animi fit propensissimi: atta-
men, velit, nolit, in singulis ad mini-
mum epistolæ tuæ paginis, insolitum
aimadvertet desiderium Cicutæ depri-
menda; in his vel illis, viliis pretii fa-
ciendis, a quibus eam accepimus.
Hinc nihil ibi occurrit, nisi exaggera-
tum, nisi adfictis depictum coloribus,
nisi, invita quasi sinceritate coacto
partu in lucem editum. Atomus Tibi
ad tua confilia tantillum serviens in
corpus molis immensæ ex crescit, &
quæ dicis, perfecte probat; si Tibi
econtra tantisper noceat, jam nihil est,
& ni-

& nihil probat. Utinam non hic occasionem des, ad memoriam saltem pro parte revocandi ista, a tot sapientibus de homine generatim, modo quidem ad ruborem nobis exprimendum, sed verissime tamen & sapientissime dicta: O nos infelices homines, ubi nos semel sana ratio dereliquit, aut ubi nos ita ab ea recessimus, ut non potens sit fatis religio ut vel illa ad nos, vel nos ad illam revocemur! semper iniustus, delusus semper, & semper deludens, ita degener ab homine, ut ei nihil fere praeter hominis figuram superficit.

Tunc homo nil metuens fines praetervolat omnes,

Non scopus alter ei est, quam voti expletio stulti.

Qua magis est clarus, clarus magis ipsius error.

Sicque fit a recto majori tramite distans.

Est grandis sane, æquoque grandior hominum illorum copia & multitudo, qui sibi indulgentissimi, rigidissime tamen alios judicare ament.

Non

Non prosequar singula hic a Te congregata in octo, quos retuli, articulorum, confirmationem, sic ingrederer discussionem prorsus inutilem, & quæ aliunde volumen integrum exigeret, Præterea res tota devolvitur ad assertiones negationesque nullo solido fultas fundamento, quarum plerasque iam perlustravimus, & quæ superfunt, rationibus æque invalidis ac illis supra descriptis innituntur; satis erit igitur absolvisse demonstrando, non minus iniquam esse tuam erga Cicutam procedendi normam, quam erga illustrissimum pariter tuum præsidem & collegas tuos.

Aggredior primam tuam assertionem pagina 81. numero 60. cui potissimum refutandæ inhærere volo; nam ubi semel veritati aperte contraria ob oculos posita fuerit, reliquæ septem alteræ ad ruinam eo ipso properabunt, nec longis opus erit responsionibus.

Fateor, vir perillustris, & hoc mea edocuit experientia, in gravissimis præsertim casibus inertem sæpius se se exhibere Cicutam, quam recte operantem. Fateor insuper, intra quinque annos

annos & amplius, quo tempore eam frequentissime & copiosissime adhibui, ipsam a me neque tam crebram in operando feliciter, neque tam diligentem in operationibus deprehensam fuisse, quam Vienna scriptum est. Causa huius discriminis me latet; sed istud nihil ad rem nostram.

In triginta circiter morbis, iisque quasi insanabilibus habitis, & in quibus usus sum Cicuta, vix novies aut decies illa mihi prospere successit. Sed esto, quod una vice tantum, & in desperato casu aliisque remedii non curando revera curaverit, nonne satis esset, ut inde pretiosa evaderet, & ut tua in primis funditus rueret assertio, quæ omnem huic remedio vim salubrem denegat. Hoc innituntur quoque ratiocinio perillustres Störck, Collin, Ehrhart & alii, apud quos & usus Cicutae, & sermo de Cicuta frequentissimi erant. Nemo, credo, remedium hoc ut infallibile & fructuosum semper jaetavit.

Addantur igitur alienis probationibus probationes domesticæ, & istae refutatione nulla elidendæ, tum invi-

tus etiam fateberis, tum fatebitur & habebit pro certo universus orbis Te delusum fuisse, verumque esse, quod negas, verum esse scilicet, cicutam hodie adhuc felices non raro fortiri exitus, eam nunquam nocere, nominatim etiam in casibus, ubi Tu eam semper inutilem, saepe perniciosa, aliquando lethifera divulgas.

Et quia, ut facillime credo, non Iubentius mihi, quam tot celeberrimis medicis adhibitus es fidem, consentio, imo instantissime peto, aliquem Tibi fidum constitui, qui ordine recto omnia Tibi referre queat, delegetur ille, & nisi casus infra recensendi non ii sint, quos descripturus sum, paratum me praesto, sumtibus satisfacere omnibus; ea lege tamen, ut ipse sis satisfactus, si veri deprehendantur. Ecce brevissimam tutissimamque disputationis terminandae viam, & certe discussio illa, quam hodie tanti momenti fecisti, hoc videtur exigere. Ita ergo compendario ordine sequuntur.

Casus primus.

Est de uno vero cancro exulcerato secundum definitionem ac descriptiōnem in aphor. 498. & 499. magni Boerhaavii, tui medica in arte magistri datas, sicut & secundum illustrissimum ejus commentatorem, quem semper maximopere dilaudasti. Si autem illi hac in re peccaverint, culpabilis sum, ast hoc Tibi incumbit probare. Agitur, inquam, de cancro exulcerato ad mammam sinistram, 5. præter prop̄ter pollicum sua in circumferentia, trium sua in apertura, quo quædam virgo 47. & ultra annorum vexabatur, & qui suam scirrho sponte nato maleque tractato debebat originem:

Virgo illa ad me venit mense Aprili anno 1761. Cicutæ usum ei suasi, & postquam ea per octo circiter menses usi fuit purgando singulis 12. aut 15. diebus, sanata fuit, excepto unico parvulo superficiario avellanæ instar ulcere, in loco, ubi mammæ papilla ante fuerat, restante. Tunc hæc ægra medi-

camenti pertæsa, & putans de cetero se penitus curatam esse, Cicutam, quidquid ei objicere potui, continua-re renuit, solo emplastro diapom-pholigos superstiti ulceri opposito, con-tenta.

Aegram per 9. aut 10. menses non amplius vidi. Hoc autem elapso tem-pore, iterum veniens ad me mihi osten-dit eandem mammam, quam a 5. 6ve septimanis quam maxime dolere & quoque pedetentim magis ac magis dehiscere coepisse dicebat ingenti cum foetore.

Illam autem carcinomatofam rufus reperi, ast tantum paululum ultra medi- etatē magnitudinis & exulcerationis, ac fuerat præcedenti anno, dum prima vice illam vidi. Rediit meo consilio ad cicutæ usum, & ut sumtibus par- cere posset, hujusce extractum & ex hoc pilulas apud ipsam met ægram paranda curavi.

Verum eosdem, ac ante non amplius exercuit effectus, etsi ægra in triplicata, imo & quadruplicata sumeret dosi; nunquam enim potuit medicamen illud,

per

per duos cum semi annos constanter adhibitum licet fuerit, omnino dissolvere seu explanare callosa, prærupta, retorrida cancri labia, neque extuberationes durissimas cornuum parvulorum adinstar in eius medio positas, hinc neque cicatrici locum dare,

Ast paucō illo, quod de hisce remanebat, excepto, Cicuta redactus fuit cancer ille, & dein ad finem usque continuo servatus in statu simplicis quasi vulneris, id est semper roseus, pus omnino laudabile manans, doloris, nisi pauci momenti, expers atque foetoris, ita, ut nunquam penetraverit, nec se extenderit ultra magnum pectoralem, qui ejus fundum formabat, postquam mamma temporis tractu penitus absunta fuerit.

Verum, quod bene animadverendum venit, & haud parum in Cicutæ favorem loquitur, illud est, quod, dum ex huius fastidio, aut ratione quorumdam symptomatum huius usum per 10. 12. ve dies interrumpere debebat, foetidissima sanies, intensi admodum dolores, molestissimæ anxietates, insomnia per-

petua & renascerentur , & iterum etiam evanescerent intra VI. VII. dies, dum ad cicutæ usum revertebat, quod decies ad minimum vidi ; neque vero ipse met cortex peruvianus, nec ullum aliud antisepticum eundem exerere valebant effectum.

Tandem exsucca tum morbi longinquitate (licet bona quotidiana mām-mæ suppuratione), tum a diversis & sæpius repetitis insultibus febrium modo remittentium, modo intermittentium, quas cortex peruvianus larga manu diu-que exhibitus vix domare poterat : extenuata inquam, tot prosternentibus cau- sis simul unitis , quibus vim addebat adhuc appetitus sub finem amissio , indeque hydropica pedetentim facta , fato cedere debuit, & hoc undecim circiter mensibus abhinc. Notandum hic est, quod omnia ad hydropem debellandum magis apta & recommendata , atque ipsummet oximel colchicum (cujus de- cantatas adeo videre virtutes necdum mihi contigisse fateor) affectam in pe- ius ruere fecerint mammam , quam re- stituerant tamen, ut erat ante illa , si-

mul

mul & appetitum, quamvis tam diu prostratum, & sic quoque utrumque servarunt ad ægræ obitum usque, intacto hydrope, pulveres de aconito ad modum perillustris Störck concinnati atque adhibiti, quod medicamen, ubi convenit, præstantissimum, decies & ultra jam inveni.

Hæc ægra per totum morbi decursum ultra quinquaginta libras pilularum de Cicuta sumfit. Ordinaria enim harumce dosis erat 30. ad 40. pilularum, 2. granorum pondere, bis & haud rarer de die, & ne minimum quidem inde malum unquam sensit, nisi quod, dum ultra hancce dosin progrediebatur ægra, vertigine ac quodam membrorum torpore afficeretur.

Opium, quo nunquam vel saltem rarissime opus illi fuit tempore Cicutæ usus, sed solummodo dum ab hac abstinebat, opium, inquam, ultimo hoc in casu ob dolores semper tunc recrudescentes datum, præterquam, quod non nisi momentanea (ut sic loquar) daret solamina, ita soporosam reddebat ægram, ut iustum mihi incuteret

metum, ne sequeretur apoplexia; hinc nisi urgentissima in necessitate dari, consulte saltem nequivit.

Hæc omnia hic isto de casu allata testabuntur, ubi opus erit, plures personæ, quæ semper ægræ inservierunt, & illam viderunt ab initio ad finem usque. Annon hic casus clare probat, Cicutam esse. 1^{mo.} innocuum saltem, si non semper utile medicamen? 2^{do.} acri cancroso corrigendo & quandoque prorsus domando præ ceteris aptum. 3^{tio.} cicutam non agere ad modum narcoticorum proprie dictorum.

Casus secundus.

Hic agitur adhuc de uno cancro ex-ulcerato, vel, si velis, de cancroso ulcere etiam sensim sponte orto, & quidem aspectu præcedente longe horribiliori; aequabat enim fere infantis unius caput, atque lividi coloris erat cum labiis admodum crassis, duris, reflexis, abruptis: nec non plurima in toto eius cavo inæqualia, haudque parva tubera se ostendebant. Pus inde copiosissime efflu-

effluens acerrimum erat atque foetidissimum.

Hunc jam ferme ab anno gerebat in latere colli sinistro quædam rustica virgo XVII. circiter annorum haud rite menstruata, nonnihilque cacoehimica: occupabat autem cancer ille totum illud spatum, quod ab auris ala seu pinna, ad superiorem scapulæ partem invenitur. De cetero adhærens erat undique, & quædam venæ varicosæ subnigræ, radicum instar circa circum animadvertebantur.

Dolores insuper erant intolerabiles, & vix caput movere poterat ægra, deglutitio etiam erat parumper impedita. Si hoc malum non sit cancer, me ignorare fateor, quid sit ergo cancer.

Cum autem appetitus apud ægram utcunque adhuc vigeret, & non nisi ex dolorum vi in primis paululum febricitare videretur, ad cicutam prævio leni purgante, statim devenire, non dubitavi. Hanc igitur, & solam quidem, interne externeque purgando bis tervè omni mense, per octo præter

propter menses adhibuit. Fortior eius dosis 15. ad 20. pilulas bis de die, quandoque ter, non excessit. Ab hoc autem unico medicamine curata fuit ægra illa in integrum, & ita quidem, ut haud longe post præmemoratum temporis intervallum, laboriosissimo ancillæ munere fungi potuerit, & adhuc dum in præsentiarum valeat, Menstruis debitus ac ordinatus fluxus, & corpori ipsi habitus omnino firmus restituta sunt. Ast curam illa feliciorem nunquam vidisse me, agnoscere debeo. Iuventus, ut puto, haud parum huic contribuit.

Omnes eius pagi tribus leucæ quadrantibus a nostra civitate solummodo distantis incolae testabuntur allata supra a me omnia, sicut &, qui illam ægram viderunt, alii plures; præterquam quod horrenda relicta cicatrix superabundans dare poterit de malo testimonium. En casum contra Te, Vir perillustris, directe loquentem.

Quomodo autem valere contra eum asserta tua possint, queis Cicutæ in cancris efficaciam negas, mihi plane igno-

ignotum esse fateri non erubesco, nisi forte dicas, quod cancer ille, sedem in mamma suam non habuerit, qua in parte, secundum quosdam, malum hoc curatu longe difficilius est, quam alibi. Verum ab hac quæstione abstracto hendo, hanc tuā in epistola non fecisti distinctionem; hinc locum hic habere nequit. Causus hic anno 1762. contigit.

Causus tertius.

Est hic vere rarissimus, cuius illustrissimus tuus præses possidet adhuc, credo, historiam seu descriptionem. Agitur hic de una ingenti ac pessimæ speciei pulmonis vomica, sensim & quasi abscondite, id est, sine ulla, saltem notis, præcedentibus causis atque signis, orta, collecta, tandemque feliciter erupta.

Hoc contigit mense Octobre anno 1763. illustrissimo cuidam summo loco ac gente in Germania nato, nec non in metropolitanis diversis diversorum præsum dignitate, iure, meritoque ornato.

nato, qui tunc temporis XL. circiter agebat annos, quique de cetero optimi erat temperamenti, atque sanitatis firmissimæ; tantæ autem erat magnitudinis vomica illa, ut mane & vesperi (quo in primis tempore copiosior erat expectoratio) ad sex Septemve uncias ascenderet ichoris ejactio, sæpe cum membranularum subnigrarum frustulis, nec non hic ichor tanti foetoris fuit, ut ipsimet illustrissimo ægro prorsus intolerabilis, imo præ cunctis aliis morbi incommodis molestus esset; quandoquidem animo penè linqueretur, quin & saepius reapse jam ceciderat, ex solo per fauces transitu materiæ istius putidissimæ.

Cum autem quælibet etiam aptissima antiseptica balsamicaque expectorantia intolerabilem illum sputorum foetorem, quo in primis torquebatur æger, nequaquam corrigerent; quid hoc in casu faceret Cicuta, experiri, statutum in consilio medico fuit.

Etecce, vix hanc ad quinque pilulas, ter per diem, augendo unam singulis dosibus omni die, vix, inquam, hancce
per

septimanam sumserat illustrissimus æger, cum ichor ille, cum tetra eius graveolentia, in pus omnimode bonum, penitusque inodorum mutatus fuit, & ipsa etiam, quæ antea aderat, ingens pulsus intermissio vacillacioque, utraque adeo mali ominis habenda, omnino quoque evanuit, non amplius redditura.

Tantis autem & adeo promptis atque consolatoriis effectibus allectus æger illustrissimus Cicutam libentissime continuavit, in melius etiam apud eum de die in diem res ruerunt; nihilominus tamen per septem circiter menses Cicuta ad semi drachmam bis, crebrius ter de die, cum appropriato quodam infuso adhiberi debuit, antequam sputa puris notam amplius haberent nullam, tum relicta Cicuta atque quibusdam ex ordinariis balsamicis cum diaeta lactea mense Majo ruri in usum vocatis, plane evasit illustrissimus ille æger a malo adeo periculoso, & adhuc hodie, laus superis, sanitate gaudet optima.

De his omnibus medici duo, & haud quidem mediocris ordinis dabunt, ubi necesse erit, testimonium, sicut ipse met illustrissimus æger, licet hic non nominatus, cui hanc eius casus legi descriptionem, & qui hanc invenit veritati conformem.

An non hic casus evidentissime commendat Cicutam eiusque virtutem, saniem in pus bonum & quandoque saltem, si non semper, salubriter convertendi, quam tu negas tamen, merito a nobis decantatam.

Casus quartus.

Hic subjiciuntur quidam morbi cutanei dicti, eiusdem ferme, ast pessimi generis. Quædam matrona XXXV. annorum, quarto circiter mense, quo imprægnata erat, atque duæ virgines, altera mediæ ætatis, altera XV. tantum annos agens, cum quadam moniali quadragenaria sub finem anni 1764. correptæ fuerunt, scilicet tres priores malo ad illud, quod lepram herpeticam vocant auctores, quam maxime accedente; ultima juxta eosdem herpete depascente.

Non

Non morabor in his morbis describendis. Dixisse sufficiet, quod visu vere horrendi essent, ægrisque molestissimi, tum propter pruritum intolerabilem noctu in primis dire discruciantem, quem patiebantur, tum ob successivam maximæ partis pustularum ac tuberculorum, quæ earum totum ferme deturpabant corpus, saniosam exulcerationem; quæ, quod pejus adhuc erat, repullulabat semper, simul ac fœdæ crustæ ab illis ulcusculis desiccatis relictæ decidebant.

Cum neque efficacissima talibusque in morbis magis recommendata remedia, nec ipsæmet pilulæ ad mentem clarissimi Plummer tentamin: Edimburg. T. I. paratæ, nec demum ille adeo decantatus pulvis celeb: Hundertmarck, (quorum omnium tamen jam pluries expertus fueram in morbis cutaneis præstantiam) cum, inquam, hæc omnia sat diu que adhibita effectus alicuius saltem momenti exerere nullos viderim, ad Cicutæ usum tunc confugi, tam internum, quam externum.

Ubi autem per duas septimanas hanc sumserunt illæ ægrotæ, saniei loco, pus bonum effuderunt cuncta illa prædicta ulcuscula, pruritus quoque factus est multo tolerabilior. Continuato hoc medicamine intra quatuor, quinque, sexve menses plus minusve, tandem liberatæ fuerunt tam foedo, ac pertinaci morbo, excepta præmemorata matrona grava, quæ dum XV. diebus ante partum Cicutæ usum suspendit, aliquid de morbo adhuc retinebat, sed quæ feliciori, & partu, & puerperio, absque ulteriori medicaminis usu, dein etiam fuit omnino sanata, &, quod plus est, ne minimam ostendit maculam infans, qui adhuc hodie integra gaudet sanitate, uti & mater & 3. supra dictæ virginis.

Casus quintus.

Hic respicit quendam iuvenem VI. circiter annorum ex numero exposititorum puerorum, quos nostrum sustentat nosocomium, apud quem utrumque brachium, utrumque femur atque ultra-
que

que tibia ulceribus profundis, saniosis, cum cuniculis sinibusque multis erat repleta.

Purificantibus detergentibusque, ac vulnerariis, verbo, omnibus majoris momenti ac auctoritatis pro hoc malo debellando medicamentis per duos menses incassum adhibitis, ad sublimatum methodo illustrissimi van Switen paratum; ast dosi adhuc infra ordinariæ dimidium deveni. Sanatus est ab hoc medicamine intra quinque Sexve septimanas, nihilominus tamen recruduit medio anno postea malum; tum vero ad Cicutam recurri. Optatum quidem habuit successum, ast lentius. Nec impeditre potuit, quin bis curatus æger bis etiam eundem in morbum relaberetur, ita ut cicutam per duos fere annos, interpositis tamen subinde aliquot intervallis, sumere debuerit, antequam perfecte curaretur & non amplius rediret morbus. Jam autem integra fruitur sanitatem.

Effectu tamen caruit cicuta apud alium iuvenem similiter affectum, & eiusdem ætatis; sed rachitidite quoque laborabat.

Silentio non est hic prætermittendum , quod etiam in hocce casu, uti in præcedentibus, in pus bonum mutata fuerit sanies, postquam per duodecim circiter dies adhibuerit æger Cicutam.

Huc, breviandi causa, referto 6. alios casus ulcerum annosorum ac pertinacissimorum, quibus affligebantur sex diversæ personæ, & a quibus liberatæ fuerunt aliæ citius aliæ tardius Cicutæ usu, incassum adhibitis antea multis aliis remediis. Et sincere asserere possum, talis efficaciæ ac Cicutam, in ulceribus me unquam invenisse nihil, in hisce in primis omnibus aliis antecellit.

Casus Sextus.

In hoc agitur de quadam virgine 30. annorum, temperamenti sanguinei ad modumque irritabilis, quæ præter tumorem unum Scirrhosum ovo gallinaceo æqualem, quæm gerebat in hypochondrio sinistro, & qui repleto stomacho sat spectabilis extus erat, plures ad huc colli glandulas haud parum tumefactas, & quam maxime induratas habe-

habebat. Fluxu albo insuper a plurimis vexabatur annis. Cum autem jam omnigenis fere medicaminibus a diversis medicis præscriptis diu usam se fuisse, mihi dixerit, Cicutæ usum illi suasi, & ab hoc solo intra quatuor menses, interpositis quandoque lenissimis purgantibus, penitus liberata fuit omnibus malis supra nominatis.

Tres alias virgines tali vetustissimo & non minus rebelli fluxu albo laborantes Cicuta quoque persanavi.

Casus Septimus.

Est hic de quadam moniali XXXV. annorum, temperamenti phlegmatici, habitusque corporis tamen haud crassi, sed indolis tranquillissimæ, nec non infirmitatibus a nimia partium solidarum debilitate oriundis obnoxia, & quæ quendam circa cor, prout saltem signa, constans nempe in primis pulsus intermittens, suffocationis sensus (motu tantillum duntaxat aucto) suspicandum dabant, quemdam polypum gerere videbatur.

Hæc autem hemitritæa pessimæ speciei (quæ autumno anni 1763. hic loci grassabatur) correpta febre; hacce largo usu antiphlodisticorum ac corticis peruviani tandem fugata, haud longe post febricula lenta, tussi sicca, molesta, cum multo plus adhuc, ac erat anhelosa respiratione pulsuque semper ut antea intermittente laborare coepit, & facta est de die in diem quoque macilenter.

Multis incassum tentatis, præscripsi mixturæ ex extract. peruv. Drachmas vj. cicutæ drachmam j. ∇ æflor. sambuc. Uncias vj. Syr. diacod. Unciam $\frac{1}{2}$. paratam & ad duo cochlearia omnibus 3. horis sumendam. Auxi singulis quinque diebus X. gr. cicutae extractum, donec ægra deveniret ad drachmas ij in eadem mixtura, reliquis aliis nec auctis, nec diminutis.

Ab hocce medicamento quatuor quinqueve septimanas haud parum melius se habuit, pulsu tamen eodem manente semper quoad intermissionem, & ita quidem, ut navi vehi debuerit, ac sic transportari (copiosiorum sibi procurredan-

randarum suppetiarum causa) Moguntiam apud fratrem suum ibi canonicum & consiliarium ecclesiasticum.

Continuavit ibi eandem mixturam circiter quinque menses; tum monasterium reducem suum, eam omnino restitutam & quidem cum pulsu nullatenus amplius intermittente inveni, & sic perquam fana vixit per duos annos. Verum hoc elapso tempore ex menstruorum retentione, ab animi pathematis inducta, & tardius mihi detecta hydropica facta supremum obiit diem, incassis omnis generis & ipsomet oxy-mele colchico, datis medicamentis. Nota bene, quod cortex peruvianus, diu licet ante Cicutam adhibitus, efficerit nihil, hinc huic adscribi nequeat cura nisi pro parte.

Adest ahuc hic loci altera monialis quinquaginta annorum, apud quam jam dudum pulsus etiam indesinenter intermittens, graves cordis palpitationes, suffocationis metus, motu quacumque de causa nonnihil tantum allato, dant, si non statuendum, saltem suspicandum, adesse quoque apud illam

quoddam in maioribus vasis circa cor
induratum obstaculum.

Hæcce autem, solamen a quolibet
remedio inveniens nullum, ad Cicutæ
ūsum, a quatuor abhinc annis, mèo
consilio transivit, à quo infra quinque
menses fugata omnino fuerunt supra
memorata omnia, & optime se habuit.
Verum VIII. mensibus deinceps eadem renata
sunt symptomata, quæ, Cicuta iterum
per III. menses adhibita, rursus etiam
disparuerunt, reditura tamen IV. men-
sibus postea; & sic ad hodiernum us-
que diem tali modo abierunt sumta,
redierunt relicta Cicuta, ita, ut adhuc
in præsentiarum singulis quinque sexve
mensibus, Cicutam per duos tresve
menses sumere debeat, ad se liberan-
dam malis supra enarratis. Quomo-
do res istæ fiant, quænam sit earum
causa, Tibi, Vir perillustris, deciden-
dum relinquo.

Casus octavus.

Hic est sermo de quodam iuvene
rustico XVII. annorum, pauperrimo, &
adeo strumoso ac unquam fuerit ullus
alter.

alter. Ille afficiebatur jam ab anno septem tumoribus, scilicet uno ad utrumque parotidem, uno sub mento, (qui tres fere contigi erant) uno supra, & sub mamilla sinistra, uno tandem sub utraque axilla. Cuncti erant sublividi coloris, admodum duri, dolorem haud parvum facientes, nonnihil pugno ampliores, in apice exulcerati ad imperialis ferme latitudinem. Materia inde manans erat saniosa, foetens, ac corrosiva.

Aeger ille parvula leuca abhinc distante loco degens, hoc anno 1766. circa Maii initium ad me venit. Cicutæ usum in- & externum cum quodam singulis octo diebus sumendo purgante ei præscribere non dubitavi, & egestati suæ omnino subvenire volens curavi, ut non tantum medicamina, sed & curæ instituendæ aptus nonnihil saltem victus ei suppeditarentur.

Et quod haud parum mirandum venit, non modo septimanarum duarum spatio ichor in pus conversus fuit bonum, sed etiam infra quatuor menses, septembris nempe nuper elapsi initio) sup-

puratione copiosissima fusi quasi fuerint, tumores illi omnes, sic ut brevi postea cicatricem omnio contra erint, quemadmodum sunt adhuc hodie (unico illo sub mamma sinistra posito) ex quo tantillum adhuc effluit puris, excepto.

Huc referre adhuc possem personam quolibet anno, utroque æquinoctio per septem octove septimanas, ordinaria dira athridite discruciatam, & quæ, mediante cicuta, hoc malo iam a tribus annis liberata est, integra fruens sanitate. Verum fateri debeo, me pulveres de aconito Cicuta, longe præstantiores invenisse talibus in malis.

In omnibus aliis casibus, ubi Cicuta successum habuit nullum, eam quoque nunquam nocuisse, sancte afferere possum, sed concessò pro momento, quod illa talis esse apparuerit semel, bis, terve, annon tamen jure meritoque dicere possemus de illa eadem, quæ tu dicis de electricitate rat. med. part. X. fol. 110.

Ecce, Vir perillustris, casus non fictos nec pro necessitate larvatos; sed qui reipsa ii, quales hic referuntur, extiterunt; quodsi apud Te tamen au-

ctoritate satis non obtineant, apud alium quemlibet sane obtinebunt, ut contrarium illius, quod asseris, invicte demonstrent; scilicet: 1^{mo}. In Cicutâ non haberi semper, uti contendis, inutile, bene vero non raro prosperè succedens remedium; & ibi etiam, ubi cetera nihil profuere remedia; quemadmodum & ab aliis pluribus probatione evictum est, 2^{do}. Idem remedium non toties nocere, quoties non iuvat: proptereaque, sicut a Te traditur, non esse lethiferum credendum.

Tu ipse, vir perillustris, illorum ad instar, qui cum nimis probare velint, rem contrariam sæpe probant, Tu inquam, argumento, ceteris hic insertis validiore, veritatem istam, punctum illud ultimum stabilita nobis præstas. Quod quidem argumentum, cum me in loco opportuno præterierit, hic comode adduci potest. Legitur pagina 36. epistolæ tuæ & ita instituitur.

Ut ostendatur, quam immerito ex una parte virtus narcotica extracto Cicutæ tribuatur, & ex altera, quam immierito pariter triduana & copiosa

evacuatio ex semiuncia una vice tantum per abusum hausta secuta affirmetur, de audace quodam medico dicens: *qui cum ex dosibus consuetis nihil boni effectus animadverteret, unicuique aegroto, libram integrum extracti Cicutæ singulis diebus, & hoc per longa satis tempora imperavit, sine vel minima tamen immutatione, aut in somno, aut in excretionibus.* Idem mihi scripsit expertissimus Rein, Viennæ in Hispanensi nosocomio physicus, amicus tuus; additque simul, extractum Cicutæ mortuum caput a se reputari, in quo nempe nihil spiritus, nihil virtutis est comprehendere.

Quæ cùm ita sint, quæro a Te, Vir perillustris, qui fieri potuerit, ut in manibus tuis, extracti Cicutæ portio septuagies minor lethifera fuerit, dum in aliis manibus, portio septuagies maior nec tantillum nocuerit? Numquid occidendi vim grano unico adscribes, septuaginta tamen ejusdem speciei granis damnum nullum inferentibus? Ingenii es solidioris, ut hoc tuearis paradoxum. Ex illo igitur sequitur exemplo;

plo, Te tibimet ipsi contradicere; Cicutam in se nihil habere, quare reformatur; proindeque tuum hoc: *plures in deteriora laberentur, unus periret & alter*; purum esse somnium, vera repræsentans, quæ physice tamen sunt quasi impossibilia.

Ita fortasse respondebis: si eiuscemo-
di exemplo ultimæ duæ assertionis tuæ
partes evertantur, inde pars illius pri-
ma, impotentia scilicet Cicutæ, eo va-
lidius confirmatur. Facilis adest re-
sponsio, iuxta axioma in medicina re-
ceptum: ubi loquitur experientia, ibi
taceat ratiocinium. Experientia vero
utilem probat invicte Cicutam, ni con-
stanter, crebro faltem, ubi, prout ex-
igunt casus, doses eiusdem vel leves,
vel mediocres, continuatis vicibus su-
muntur. Hoc sufficere debet: tamque
certam esse illam Cicutæ utilitatem,
quam hanc periculi immunem, exem-
plis supra allatis commonstratum est.

Jam satis superque dictum credo, ut
funditus ruant momenta tria eaque
præcipua, a Te contra Cicutam ex-
cogitata, quæ ego superius pagina 42.
retu-

retuli; simulque, ut commonstretur, quam solida sint e contra illa duo, quæ hic appositi pagina 73. ad utillem tutamque Cicutam defendendam.

Dixi pagina 48. si momenta tria illa præcipua, quæ Tu in medium protulisti, infirma demonstrarentur, ut reipsa hic demonstrata sunt, cetera quinque alia a pagina 43. ad paginam 45. sponte ruitura, utpote dependentia a primis propterea que me circa illa non diu esse moraturum. Cogitando tamen animadverti, singulare quoddam quibusdam deberi; non erit igitur extra rem si singulare illud illis hic persolvatur.

Quartum ex cogitatum a Te momentum, & legendum pag. 43. evanescit omnino per ante a me relatos casus, in quibus omnibus celerem istam, fereque semper salutarem, faniei in pus laudabile conversionem est introspicere.

Quintum, ibidem veritatem directe offendit. Ex ingente illo externorum medicorum numero, hic supra serie satis longa delineato, indubitatum habetur signum

signum, plurimum abesse, quin ab omnibus Europæ medicis, idem tecum de Cicuta feratur iudicium.

Sextum haud firmius stat fundatum, & vel primo aspectu apparet incredibile; quis enim sibi unquam in mentem induxerit, medicos ex universitate tua celebres, informatos a magno Boerhaeve, ab illustrissimo simul & doctissimo eius commentatore, demum a Te ipso; medicos, quorum in manibus versantur continuo mira, ab utroque illo præstantissimo de materiis chirurgicis edita in lucem opera; quis sibi in mentem induxerit, ab hujusmodi medicis tumores, (ut Tu contendis) ulcera ordinaria distinctu facillima, scirrhorum, cancrorumque, signa licet minime dubia gererent, loco frequenter fuisse habita & tractata? Quod magis adhuc: cui credibile unquam apparuerit, ita fieri potuisse, ut medici illi, tot externos medicos & chirurgos supra commemoratos, erroribus suis infecerint, gallos præsertim sibi palmam in rebus chirurgicis vindicantes, & qui præterea casus a se relatios viderunt & tractarunt? Nonne in cere-

cerebro laesus esset ille, qui Tibi illic umbram, speciemque veri concedere vellat?

Septimum est maxime contumeliosum. Quid ergo, vir perillustris, juxta Te (hoc enim asseris) Viennæ, in hac urbe sede simul & centro virtutis, justitiæ, recti ordinis, scientiæ æque ac magnitudinis, Viennæ in loco tam religioso extiterunt medici, collegæ tui quorum aliqui adeo vafri, adeoque corrupti fuerunt, ut strophis (nota bene) dolisque suis persuadere potuerint reipublicæ, de lethifero, (ut declaras,) veneno, idem præstantissimum tutumque esse remedium, istudque in morbis exterioribus, quos non propriis, sed fictis nominibus ex consulto appellarunt, quorum ceteri non modo ita insulsi deprehensi sunt, ut fraudem non animadverterint, sed ita etiam improbi, ut (hoc insinuas pag. 41. epistolæ tuæ) fraudem detectam reticerent, viles scilicet facti assentatores apud Cicutæ patronos, a quibus promotionem ad gradus superiores sperabant.

Sed si contra omnem spem, contin-
gere potuisset, ut in tua urbe medici
indolis adeo infelicitis, perversae, generi-
que humano funestae extitissent; qui
ita conscientiæ suæ, sed quid dico? qui
ita sanitati, imo vitæ fratum suorum
anteposuissent, alii vanam gloriam,
quæ inventores consequi solet; alii vile
fordidumque commodum, nonne seve-
rissimis se se dignos præstitissent ani-
madversionibus? Et quomodo eas effu-
gere potuissent, in urbe sic constituta,
ut intra sinus suos, quemadmodum
fatetur unusquisque, vitium nullum,
multo minus crimen, ubi semel in lu-
cem venit, quiescere permittat.

Clarum ergo & apertum est, hoc in-
simulationis genus tam erroneum, ut-
que nihil amplius dicam, tam culpan-
dum esse, quam ceteræ fuerunt accu-
sationes, quas a te de aliis punctis contra
plurimos ex collegis tuis intentatas re-
tuli; qui quidem tamen collegæ tam
infantes extiterunt, quam Tu eosdem
fistere reos voluisti.

Nonne ad credendum induceremur Te
Vir perillustris, mercede conductum
fuisse,

fuisse, ut, quasi Tu ipse medicus non essem, medicos in ignominiam & opprobrium ad conspectum orbis universi adduceres? nec attendis ictus sic iuste inflictedos, in infligentem ipsum recidere, neminique alteri, nisi Tibimet ipsi nocere.

Nos vero si ii reipfa fuerimus, quos nos hic & alibi depingis, homines nempe injectis obruendi lapidibus: (non enim nisi atrocissima de nobis exprobras) si homines fuerimus, quos merito totum genus humanum abhorrere debet, quocum honore, in ista pro momento concessa Tibi hypothesi, qua cum conscientia, qua cum securitate inter membra, quin imo inter capita odiosi adeo corporis remanere non dubitas? quod si Te ipsum ab eo abscindere non properas, nonne manifestum hinc adest signum, aut Te eundem esse, quos nos fingis, iisdem proinde poenis dignum; aut a falso ad verum gradu facto, haec omnia a Te de nobis in medium allata a temet ipso tanquam vera non haberri, teque illa non aliter considerare, ac putare ab aliis etiam,

con-

consideratum iri, ac quamdam abortivam rem, quam tibi arripuerunt, decipientia indicia, in uno illorum dierum, in quibus facta omnem hominis vel & sapientissimi superant prudentiam.

Ex utroque illo extremo posterius necessario Tibi est eligendum, quod minori nempe Tibi vertatur dedecori. Posteriorius etiam ex charitate & amore fraterno adoptare consentimus, poenae talionis loco, quam contra Te iure exposceremus. Pro certo simul tenemus, non nisi gravissimo cum labore adducendos fore hostes etiam nostros infensissimos, ut mitia adeo nobiscum de Te pronuncient iudicia.

Octavum & ultimum quoad quædam saltem prorsus est futile; ut constaret verum, sicut Tu effaris, attribuendas esse curationes omnes juxta Te factas, in re tamen mediante Cicuta peractas, vel aliquando etiam naturæ soli, aut naturæ, quam aquosa, tepida, vel emollientia juvarent, necessario probandum incumbit, non rationibus experientiæ contrariis, ut Tu in epistola tua a pagina 50. ad paginam 59. non casibus

rariſſime contingentibus, quales ſunt illi, quos Tu ibidem refers, ſed factis bene ſtabilitis, crebro iteratis, non ab uno, ſed a pluribus comprobatis teſtibus, probandum, inquam, incubit, mala illa omnia, & a me, & a multis aliis commemorata, tam feliciter, & tam frequenter remota, quam adhibita Cicutam fanari, per extēra remedia, per naturam ipſam ſolam, ſive aliunde adjutam, quod quidem exſequi, ut puto, ex pāte nunquām poteris.

Sincerum, Vir perilluſtris in animum inducere iuvat, & ferio perpendere, non niſi ad breve tempus obſcurari poſſe veritatem. Procul hinc omne commodum proprium, adſit e contra perpetuo præſens obligatio, qua erga fratres obſtrīgimur, ita, ut alta mente reponita ſemper maneat ratio, a nobis propter illos apud eum, qui novit omnia, olim adeo ſtricte reddenda.

Parvi, imo nihil mea interest, utrum hoc vel illo modo de Cicutam ſentiatur. Mori ſatiuſ eligerem, quam illam defendere, niſi, quæ refero, meis oculis vidiffem. Mihi, ex quo medicus ſum,

ultra septem cancri delati sunt tractandi. Remediis usus sum potentissimis, quæ auctores peritissimi & fide maxime digni, quæ Boerhaavius ipse, & ipsius commentator illustrissimus adversus illud malum maxime commendarunt: ante tamen adhibitam Cicutam, ne unicum quidem sanare potui, nec etiam, nisi tantillum, horrendum imminuere foetorem corrodentem, & proprie dictum martyrium, quibus die ac nocte cruciati, tandem serius aut ocios pereundo succumbebant ægroti. Occurrerunt debellanda mihi pariter inveterata, & improbissima ulcera, multæ affectiones scrophulofæ, scirrhi multi &c. quantum temporis, quot impendenda fuerunt remedia, quanto plura tamen ex illis remediis aliis, quam Cicutæ, ut sanarentur, restiterunt? quisquis experientiam præxinde sinceritati iungit, ultro concedet, in his morbis tractandis non mediocre esse discrimen inter successus aliorum remediorum, & successus cicutæ opportune adhibitæ. Abunde, credo, & abundantius, quam necesse erat, octo hæc epistolæ tuæ capita a me refutata sunt. Locus

tamen unus adhuc supereft silentio non prætermittendus, præfertim, quia locus iste causam contra Cicutam & dominum Störck solidissimis firmare argumentis videtur, in eoque amplissimam triumphandi materiam habere Te existimas; appares etiam de reportata victoria Tibi plaudens. Ibi inter curationes, quæ ab illustri Störck veræ & perfectæ datæ, nonnullas falsas, aut mancas refers. Ostendis insuper leves quasdam contradictiones, in his, quæ de vi, & modo agendi aut operandi Cicutæ dixit: hic facilis, ut credo, Tibi canenda est victoria.

Omissis hic discussione & examine, quæ hac de causa protulisti, I^{mo}. esto mancas illas curationes, decies adhuc numerosiores esse, quam Tu propugnas, esto quintam tantum partem illarum ab illustribus Störck, Locher, & Collin relatarum veritate inniti; triginta saltem ex illis certe constabunt. Ponamus vero decem tantum esse certas, nonne satis erit, ut æque laudetur Cicuta, ac illam deprimere eniteris? nonne satis, ut demonstretur, Te ultro abs-
que

que fundamento legitimo, ex illis vel reipsa mancis, vel falso ita appellatis curationibus contra cicutam concludere.

2^{do}. Etiam si per illustris Störck, circa novi remedii dotes errasset, nonne hoc ei potiori jure condonandum esset, quam nostrorum temporum botanicis, ne celeberrimis quidem exceptis, qui quotidie super notissimis et ante plura saecula usitatissimis falluntur remediis? Enim vero an unus quidem est inter illos, qui remediis solas, quas habent, tribuat proprietates? quot de illis jactitant virtutes, quae illis sunt omnino extraneae? tumet ipse hoc dicis rat. med. part. X. fol. 211.

Quot reticent e contra, quae ipsis vera conveniunt? quot demum inquiraenda adhuc de illo capite requirunt? nonne praeterea, quemadmodum et plerique alii auctores celeberrimi, omnes fere inter se hac de re dissentunt? Perpendantur modo horum praestantisimorum hominum sensus de opio, & china china, utroque a tam longo tempore notissimo & usitatissimo remedio. Quam prodigiose occurrunt diversi illo-

rum sensus? ut ceteri omittantur auctores, an tria non mediocris formæ volumina suffecerunt perillustri tantique pretii hodie habito, iuxta Te etiam ita habendo Medico Tralles, ut rite proprietates opii eiusque rationes operandi evolveret? Nonne experientia sola Ranæ ab illustrissimo van Swieten pagina 505. volume IV. relata, præcipuum crassissimi illius operis fundatum omnino evertitur? Nonne a Te ipso, Vir perillustris, rationibus, quas experientia confirmat, fundamentum istud impugnatum est? et licet experientia stet in gratiam istius remedii in variolis, quot medici interea, ne mentione quidem de illustri Tiffot facta, istud ibi admittere renuunt? Et quidem ob causas tam ex proprietatibus eius male intellectis, quam ex præiudicata opinione deducatis.

Nunquid ex vi modoque operandi China chinæ, qui cortex tamen, ut ita dicam, instar panis hic & nunc manducatur, minor diversitas propter sententias de eo olim & hodie adhuc latus eruitur? Nonne tot imo plures ibi

ibi occurrunt contradictiones, & s^epe etiam apud eumdem hominem (quem-admodum videre est apud anonimum *de recondita febris natura*) quam in applicatione ipsa huiusce remedii in praxi? Quam multas vero h^ac non patitur? quod quasi transeundo dictum volo: nonne accidit non obstantibus saluberrimis huiusce remedii proprietatibus in pluribus morbis, quæ proprietates a tot peritissimis viris, a Te ipso in plerisque operibus tuis recognitae & approbatæ sunt: non obstantibus commodis, ex eo ab illis palam & aperte perceptis, qui illud opportune, fateor, Tui adinstar adhibere norunt: non obstantibus demum, tot momentis solidissimis, & indubitatis in favorem eius remedii, nonne, inquam, accidit, ut multi auctores practici metum de illo concipi-ant, & non nisi puerilitur cauti illo utantur. Hos terret captiosa, quam de illo fingunt, adstringens & obstruens virtus: illos vana persuasio, ab eodem suspensi tantum, quin imo aliquando in deterius adduci mala, contra quæ porrigitur. Ita omnes in eo consenti-

unt, ut illud periculofsum dicant, in iis etiam casibus, ubi ab experientia saluberrimum declaratur. Sæpe etiam (o summum malum!) falsis semper decepti principiis, morbos fieri lethales aut saltem longissimi temporis permittunt, quos tamen ab initio intra dies paucissimos sanare potuissent, si remedium hoc mature in auxilium opportunum advocassent.

Ut ad rem meam interdum deveniam: quot alia hic in medium proferre possem remedia, de quorum proprietatibus, operandi modo, viri præstantissimi, nec ipsi secum, nec cum aliis multominus, aliquando consentiunt? ita agnoscunt ultro: hic stat: *non plus ultra* quoad medicinam, qui quidem terminus ultimus non rarius imo frequentius apud nos, quam in quavis alia arte, aut scientia occurrit. Itaque visis successibus, iisque nobis sufficientibus inhærendum, neque curandum est de modo quo, qui scitu non est omnino necessarius. Sic sentis ipse, Vir perillustris, non in uno loco tuorum operum.

Nonne ex his omnibus aperte deducendum, inter tricas, ut nihil dissimuletur, istud esse animadvertisendum, quod per illustri Störck obiicis: quod proprietas & modum operandi Cicutæ assignando sententiam aliquando variaverit? nonne manifeste inde probatur, omnia a Te in telum & scutum evocari, dummodo hæc consiliis tuis, id est immoderatæ cupiditati, qua Cicutam & Cicutæ fautores in despectum adducere eniteris, tantisper inservire videantur.

Cum placuerit Enti supremo in omnibus operibus suis semper adorando, humanum intellectum limitibus angustis restringere, nonne limitatione ista nobis exprobrata, infinita illa sapientia quodammodo culpatur? eo procedis iniquius, quod Tu, etsi eximia in Te demiremur dona, limites tamen tuos etiam patiaris. Nunc ergo ad considerations quasdam.

Numquid stupendum, simulque condemnandum videri debet, hominem tam vastæ eruditionis, & a quo tantum splendoris adquirit medicina, calatum

sum eiuscemodi epistolæ commodasse, unde famæ tam præclaræ, per tot labores, totque vigilias comparatae, tam dolenda affertur imminutio?

Quidquid dixeris, vir perilluſtris, tua ſane, licet omni exceptione major, nunquam persuadebit eloquentia, Te, aut vi religionis, aut vi munerum & officiorum, aut, quod minus adhuc veriſimile eſt, vi artis ipſius protegendæ ad talia in medium adducenda inducētum fuiffe.

Nifus fuos impendere, ut una cum illuſtrissimo præſide tuo triginta ad minimum & plerique celeberrimi & eruditissimi medici habeantur idiotæ dolosi; imo, qui præclarissimi ſunt inter eos, habeantur ſicophantæ & persecutores: nifus fuos impendere, ut falsi reputentur caſus ultra centum ab eis relati, & confirmati, quid eſt aliud niſi ſibi ipſi palam maculam haud parvi momenti adspergere; niſi cœlum, terram, totamque mortalium gentem ad iracundiam provocare?

Quam tibi gloriosius, Vir perilluſtris, ſi omiſſo illo ita parum Te digno
opere

opere , quibusdam adeo controversis ,
adeo male stabilitis , adeo dubiis &
obscuris artis nostræ medicæ capitibus ,
ex quibus tantum damni non raro in
hominum genus redundare solet , &
elucidandis eorum theoriae & praxi ,
labores consecrasses tuos : si circa ma-
la , quorum causæ & curationes , invito
tot celeberrimorum auctorum conatu ,
in tenebris adhuc fere penitus ignotæ
iacent , circa causas , & curationes ma-
lorum , quæ calami solertissimi levif-
sime tantum , & quasi obiter perstrinxer-
eunt , circa ipsa mala illa plurima , quæ
Tu iam tetigisti , sed non sufficienter
extra omne dubium collocasti , versatus
fuisses . Sic est inter cetera , Colica Pi-
ctonum dicta , de cuius natura & arte
ut tractetur , hodie acriter adeo dispu-
tatur ; nec videtur reipsa levem dissен-
sionis ansam subministrare . Enim vero
ex colicis undecim , circa quas intra
inius anni spatium laboravi , tres tan-
um tua curavit methodus ; quatuor
Drustica , in duabus tua successu caruit ,
læ apud quas neutra illarum profue-
at , sanatæ fuerunt aqua frigidissima
sævi-

sæviente hieme, quocunque modo corpori applicata; unus et alter succubere hoc ultimo prætermisso remedium. Quanta in arte curandi illius morbi diversitas? numquid vero nihil superaddendum restat iis, quæ hucusque circa malum istud instituta sunt? an unica tantum circa istud indicatur methodus? aut larvatæ arthriditis, ut recens quidam affirmavit auctor, sibi imago est effingenda.

Quam præclaras lauros Tibi, Vir periustris, demessuisses? quanta Tui aestimatione, quantis gratiarum actionibus nos, omnesque omnino homines erga Te devinxisses, si, nedum scriptis litteris in res adeo improbandas impiegasses, perrexisses e contra rebus, quæ tanto cum fructu enucleandæ & eviscerandæ sunt, infudare? quantae voluptati, quantoque Tibi extitissent indefatigationibus solatio memoris animi signa certissima, quæ Tibi quisque certatim exhibere festinasset. E contrario, nisi omnino alius sis, ac semper hucusque te esse ostenderis, quam tristis, quam amara Tibi recurrere debet im-

portuna huiusce epistolæ recordatio , quæ Tibi necessario omnes sanæ mentis homines, quicunque illi fuerint, alienos præstat , rationemque severissimam apud supremum iudicem olim reddendam imponit.

Unicum introspicio modum, huncque Tibi ex amicitia suadeo , ad sedandos conscientiæ remordentis stimulos , qui certissime ex illa enascentur epistola , non obstante illa singulari animi magnitudine , quam Tu circa finem affectas , quamque Tibi e cœlo missam dicis , quasi verò vires ad dilacerandos fratres suos cœlum posset emittere , unicum inquam modum reperio operis illius tui imaginem , (cuius aspectu , Christianus sicuti es gloriari haud potes) ingratam minus oculis tuis efficiendi , spemque tibi procurandi , ut restitutam tibi demum animi tranquillitatem videoas ; unicus ille modus in eo consistit.

I^{mo}. Ut Te , Vir perillustris , non pudeat confiteri a Te præcipitata nimium de Cicuta lata fuisse iudicia , sive quia Tu externa ignorasti , sive quia , ut dicis , propria Tibi infeliciter successe

fere experimenta: Te ita clamoribus undique contra Te iure ac merito propterea exortis, perturbatum fuisse, ut muscas elephantes appellaveris. Multo est laudabilius errorem suum agnoscere, quam eum per fas & nefas excusatum habere velle.

2^{do}. Ut totas ingenii vires, totos co-natus tuos impendas, ad nova officia, illis jam a Te medicinæ præstitis officiis (quorum vero pretium multum detri-menti in epistola tua patitur) abun-dantissime adiicienda. Ex ingentia ista confessione, ex hoc a tota republica sic percepto emolumento, sperandum est, istud, quod tam iniuste aggressus es, nunc & in futurum Tibi condonandum fore, eoque libentius, quod a Te la-cessisti homines extra tela tua positi fu-erint, nihilque reipsa ab illis habeant metuendum.

Ecce iuxta me, Vir perillustris, vi-am unicam labem Tibi inspersam ab-stergendi; arti hoc restituendi, quod ipsi eripuisti, meritam nempe famam & dignitatem; amicitiam illorum iterum recuperandi, quos si deprimere non po-tuisti,

tuisti, deprimere saltem totis viribus
enfus es. Re serio considerata nulla,
meo quidem iudicio, superest alia via.

Ne habeas meum consilium ironice
datum, sed profectum ab homine ingenii
Tui lumina magni faciente, palamque
confidente, se non una vice multum
fructus in praxi ex illis percepisse; ab
homine, qui vehementer damna, quæ
Tu tibimet ita errando procreasti, dolet,
qui que vehementer cupit, ut illa non
accidissent, vellementius vero adhuc,
ut iterum ab omni labe mundus fieres;
me, modo Tibi notus essem, facile fin-
cerum crederes.

Accede ergo rursus ad verum, utile,
& necessarium. Perfice ea, quæ Tu
tantum primo delibasti, antequam ad
retro relictæ delabaris. Semi enucleata
sæpe magis nocent, quam profunt.
Procul dein a Te disputationes illæ,
ubi alter alterum diris unguibus dila-
cerat, ubi illi, qui decertant, laudes
ingenii, styli elegantis, amoeni, flori-
busque exornati, laudes denique vanas
& inutiles magis exquirunt, quam vias
breviores, certiores, iustiores mor-
bos

bos sanandi. Ad hunc tamen unicum scopum intendere debemus; elegans ingenium non constituit semper excellentem medicum. Ita ipse loqueris contra perillustres Dehaler & Tissot.

Nedum etiam Te illis disputationibus amplius deinceps immisceas. Cogita econtra, & perpende serio, utrum non via quædam ineunda foret, unde istæ apud nos omnino abolerentur. Res et si difficillima non videtur tamen plane impossibilis.

Unum hoc tantum requiritur, ut potestates nempe omnes simul coniunctæ academiis suis imperent. 1^{mo}. ut interf se convenient, excogitent, & publicum faciant systema aliquod, quod ubique uniformiter, unum, ut ita dicam, quasi corpus efficientes doceant; Ex diversis enim apud illas principiis oriuntur apud nos sententiæ diversæ & disputationes. 2^{do}. Ut unaquæque seorsim academia singulis annis nova duodecim puncta maxime controversa, utilitate præstantissima, solutu difficillima eligat; de quibus anno elapso suffragiisque numero superioribus, ratione & expe-rien-

rientia ponderosioribus collectis, leges
fanciantur irrefragabiles, cum claris
tamen & æquis exceptionibus suis.

His rite observatis, vir perillustris,
post aliquot annos, ut iudico, habe-
remus quid legale satis, quid satis fi-
xum; inde tam uniformes evaderemus,
quam nunc discordes sumus, in primis,
quod maximi momenti est, apud ægro-
tantium lectos.

Adeo felices sumus, ut in eo vivamus
fæculo, ubi æquissimi, sapientissimi,
instructissimi reges & principes ad gau-
dium & beatitatem populorum terris
concessi videntur; hoc innumera ubi-
que demonstrant vestigia. An indigna
attentione illorum haberetur tam po-
tenter ad illud gaudium, ad illam bea-
titatem conducens ars medica, si ne-
cessariæ ab eis suppetiæ implorarentur:
nequaquam, Vir perillustris, præser-
tim, cum ad pretiosam dierum suorum
conservationem præclarum inde col-
lecturi sint emolummentum.

Vestrorum igitur est, Viri perillustres,
medicinæ parentes, una simul cum
illis, qui propius ad magnates acce-

dunt, fidemque apud eos obtinent, vestrorum est omnium, quorum officia ceterorum officiis, ob credita vobis pretiosissima & sanctissima longe superiora sunt; Vestrorum est, consilia ista animo revolvere, aut quidquid aliud ad finem eumdem tendens excogitare, scilicet ad eliminandum a medicina, prout fieri potest, horrendam illam sententiarum diversitatem, tanto cum abusu toleratam, saepeque perniciosissimam, illam altercationum multitudinem prodigiosam, unde obscuratur, vilis efficitur, & via ad iustas in nos exprobrationes sternitur.

Bene animadverto, Vir perillustris, mihi a Te hic objicienda: sed illa non omnem effugiunt solutionem. Magnum opus, labor ingens, vobis, fateor, incumberet: at thesaurus omnium pretiosissimus, hominum salus & vita nonne sudores tantos meretur, & quidem posteriori iure, quam eorum statutum conditionumque conservatio aut auctio, quorum tamen respectu rebus parcitur nullis? una paronychia coactus athleta fortissimus ita esse confitebitur. Sed hic

non

non est locus, quæstionem hanc discutiendi. Satis est, quod nihil impossibile includat, & quod pars sit officii vestri.

Interim donec cœlo placuerit, ut pro optatissimo generis humani commodo, ars nostra medica unionem istam in membris suis, uniformitatem istam in illorum judiciis, & operationibus tandem assequatur, si necessariæ & inevitabiles inciderint discussiones, ibi locum obtineant eruditio tantum, & experientia. detege Vir perillustris, veritatem, quod falsum est, ubicunque lateat, nulla personarum habita ratione; sed noli esse mordax, nec unquam veritatis limites transgredi.

Ad mentem constanter revoca sapientes mirabilesque regulas, quas Tu ipse in multis operum tuorum locis, & nominatim pagina 2. epistolæ tuæ uni ex amicis tuis, adversus perillustrem Tiffot præscribis. Utinam pro tua utilitate illarum oblitus non esses in illo controverso opere, de quo hic est quæstio, exspectandum Tibi non fuisset, illud nomine æque tibi molesto, atque aliis, quos offendit, iucundo donari.

Hæc,

Hæc, Vir perillustris habui quæ necessariæ
epistolæ tuæ responderem, tum propter artem
medicam & Cicutam, tum propter personas
quas iniuste adeo impetit. Maturius scripsis-
sem, nisi litteræ tuæ, licet ardentissimum il-
las legendi mihi extiterit desiderium, ad me post
quinque vel sex tantum menses pervenissent.
Utrum aliquid reipsa reponerem, aliquamdiu
dubitavi. Nescio an me alter fortasse præ-
verterit. Non sum in loco, ubi libros statim,
atque in lucem prodeunt, mihi queam pro-
curare.

Non culpabor, ut spero, quasi non ita ver-
bis moderatus fuisset, ac esse potui. Si rite
natura, & momenta rerum a me tractatarum
perpendantur, nemo est, qui non statim fræ-
num animadvertat angustissimum, quo artem
meam loquendi, lege severissima temperare
aggressus sum: qui non animadvertat pariter,
exortas mihi inde molestias, quando aliquid
minus gloriosum Tibi in medium proferre,
urgente necessitate, coactum me credidi.

Si quædam tamen nonnihil tantum inepta
mihi nolenti forte exciderint verba, hæcce
revoco, sincere asserens insuper, Te a
tua separatum epistola æstimatione &
mea, & orbis universi mihi videri
dignissimum.

